






2
6
275













A



MARCI MANTVA

BONAVITIS, PATAVINI, IVRISCON.

DIALOGVS DE CONCILIO.

MARCVS, MANTVA, BONAVI
tus, Patauinus, Iuriscon. Paulo. III. Ponti-
fici Maximo. S. P. D.



RÆPARATIO diligens. P. S. Concilij ratione tuo iussu isthic Vincentię facta, anno abhinc circiter tertio non nulla scribendi ansam mihi præbuit de concilio ipso pariter, nõ tam pulchra quàm fructuosa christanis hominibus, Quæ cum nulli alij magis q̃ Christi Vicario cõueniant, tibi ne dũ nomine, sed re ipsa etiam tali, multoq; omnium, qui aut nostra, aut patrum memoria fuerint, sapientissimo & maximo, dicare constitui, ratus tanti patroni auspicio (mitto q plurimũ ornamenti quoq;, nec minus authoritatis mihi ipsi cõparabo, apellis exẽplo, qui licet insignis admodũ, iãpridẽ tamẽ e memoria omniũ excidisset, nisi clarorũ uirorũ, tũ uel maxĩe Alexãdri Macedonis imagines pinxisset) oculis hominũ fidẽter subijci posse. vtinã a te eo uultu excipiant, quo sũmũ põtificẽ decet, hoc est sereno et hilari, quẽ admodũ alia pleraq; nostra excepisti, qm̃ efficies ẽt, ut credã primũ hæc tibi gratissima fuisse, deinde ut maiora in dies cudere haud desperemus. Vale christianæ fidei columen, ac præsidium inexpugnabile.

ROBERTO, MAGIO, BO- noniensi, Iuriscon. Clarissimo, & Proto notario Apostolico, optime merito.

Marcus, Mantua, Bonauitus, Patauinus. I. C. S. P. D.



STATIM & cum primum tuas accepi litteras mi Roberte, quibus de cõcilio me certiorẽ reddebas, (mitto ꝙ omnes lętitia maxima affeceris, si tamen ita erit, ut scribis, & fiat) cepi mecum tacitus cogitare, quid nam, quod huic rei maxime conuenire uideretur, scribere possem hoc tempore, quo ferię nobis solito longiores indictæ sunt, non ꝙ putauerim noctuas (ut est in prouerbio) Athenas apportare, sed ut ingenium periclitarer, excitaremq́ꝫ alios ad scribendum, & te pręsertim, qui si uelis, & nisi quotidianis occupationibus detinearis adeo ingenio uelox es, & iudicio acri, ut solus scire uidearis, nemoqꝫ sit, qui tibi facile possit comparari. Adde ꝙ adiumento erimus his, qui concilio pręerunt, non doctis, & eruditis, ij enim ope auxilioq́ꝫ aliorũ nõ



indigēt,ſed ignaris,& mediocribus, & qui vocantur,nō ut tales ſint,quales eſſe debēt, ſed quia tales eſſe putantur,cum etiā, ut Ci. inquit,arbitrari debeamus,ea lege nos eſſe natos, & ea nos habere principia naturæ, quibus parere debemus, et quę ſequi debeamus diligenter ſcrutari, tum & maxime ut noſtra utilitas cōmunis ſit,quandoquidem plura ſe offerebant,ne dum pulchra, uerum etiam utilia chriſtianis hominibus, & ſcitu digna,non uſq; adeo adhuc diſtincte et clare diſputata ab his, qui de his loquuti ſunt, ꝙ ego uiderim,ut fructum conſequi ualeāt, quem ſanè conſequerentur quàm facile. Idcirco ſtatui, cum tu ipſe me ad ſcribendum eiſdem litteris tuis quodammodo excitaueris,tecum etiam loqui, efficereq; ut tu pariter (quod dialogo fieri ſolet) tuiq; nominis interpoſitione mecum loquaris,de concilio ſcilicet, deq; his, quæ in eo tractanda ſunt,& de perſonis conciliaribus, uerū quoniam Papa conciliĳ caput eſt, eiq; Cardinales aſſiſtunt,& alĳ,prius de Papa,Cardinalibus,& alĳs diſſeremus.

Fama

Rob. Fama eſt, Pontificem pridie ex urbe diſceſ-
ſiſſe, neſcio ſi tu quoq; id intellexeris.

Man. Intellexi, & q̄dē a multis, īmo ſcholaris, ne
ſcio quis, oſtēdit mihi lr̄as, quibus alius ip-
ſum certiorē reddebat, Bononię apparatus
maximos fieri ob ipſius Pōtificis aduentū.

Rob. Argumentum concilij apertiſſimum, quā-
uis multi ſecus crediderint, id ipſum mini-
me fieri debere.

Man. Ego certe ſemper fieri debere credidi, tum
& maxime cum primum intellixi a Vene-
tis ob id Vicentię locum conceſſum fuiſſe,
ibiq; ab ipſius Pontificis nuncijs ne dū ſeſ-
ſiones ordinatas, ſed & miſſam amplius ſpi
ritus ſancti celebratam ſolemniter, quæ om
nia efficiunt, ut facile credamus fieri debere.

Rob. Nec ſecus credere debemus, ex quo nulla
etiam ratio eſt, qua fieri non debeat, Luthe
ranis id ipſum quoq; ſollicitantibus quàm
maxime, quibus niſi obtemperaretur, futu-
rum eſſet, ne Petri nauicula mergeretur, aut
Chriſti fides deficeret, uel ſaltē fluctuaret,
quoniā mergi illa, hęcq; deficere nunquam
poteſt, ſi eiuſdē Chriſti dicto credimus, ut
legitur Lucę. c. xxij. & in cano, ſi enim, in. §.

& beatus, de pe. dist. ij. dum Petro loquere
tur, ibi, rogaui pro te, ne deficeret fides tua.

Man. Bene dicis Roberte, quia si in ecclesia here-
tici sunt, scismatici, & peccatores, esse nō po
test, ut in ea etiā uiri boni, & qui christi fidē
sectētur, prędicent, & tueātur, nō sint, ut in
cano. arrecta, & in cano. pudēda. xxiiij. q. i.
iccirco alibi idē dixit, tu es Petrus, & super
hāc petrā ędificabo ecclesiā meā, & portę in
feri, eos intelligens, quos nuper enumeraui
mus, quia ipsis aditus ad inferos pateat, nō
prępualebunt aduersus te. Mathe. xvi. c. et in
cano. saluator. i. q. iij.

Rob. Immo hereses esse oportet mi Mantua, ut
qui probati sunt, manifesti fiant, & cū Pro
pheta cōsurgant, et murū opponāt pro do-
mo Israel, cūq; apostolo per multas tribula
tiones intrent in regnū dei, quoniā nō sunt
cōdignę passiones huius tēporis ad futurā
gloriā, quę reuelabitur in nobis, ut in. d. ca-
no. saluator, &. ij. ad corinth. c. xi. & ad Ro-
ma. viij. &. xiij. Ezechi. Adde q̄ uirtus in p
secutionibus, & infirmitate (ut aiunt) per-
ficitur, aurūq; repetitis ignibus probatur,
ut in cano. officia. lix. dist. & nisi inuicē ele-
menta

mēta cōflictarētur, quā cōflictationē inimicitiā uocabat Empedocles, nullius rei esset generatio, unde forte illud etiā prodijt, temperamētū optimū ex cōtrarijs fieri, nihilq́ꝫ simile ex simili generari, ut philosophi recētiores dixere, apud nosq́ꝫ not. in. l. cōtinuus. in. §. itē qui insulā, de uerbo. ob. et in. l. queritur hermafroditū, de sta. ho. & not. glo. in. l. ij. in. §. quod diximus. ff. si quis cau. opposita q́ꝫ iuxta seposita elucescere magis ac magis, ut in. iij. Retho. Aristo. & in. l. i. in. §. uideamus. ff. de his q̄ sunt sui uel alie. iu. nō secus ac si purpura iuxta purpurā diiudicaretur, quādoquidē ex collatione quoqꝫ certissimū nascatur iudiciū, sicut et simile iuxta simile, quemadmodū de cōparatione scripturarū ī propositū inqt magnus doc. Bal. de peru. in. l. cōparationes col. iij. C. de fi. inst.

Man. Ita est certe, et succurrit amplius. C. Iulij cæsaris clementiā a maioribus tātopere laudari, forte ob Neronis crudelitatē īmanē et fędā. Nec minus tēperatū Augusti Imperiū, q̄ tetra illa, & īportuna Lepidi Tyrānides maledictis execrari. Adeo ut nec cognita legeretur Philippi Macedonis mansuetudo

ac facilitas, ni Alexādri filij superbia et fastus fuisset, qui licet rebus gestis, et gloria patrē superauerit, in hoc tamen a patre superatus est, et his de causis nō hereticū erit, ut credo quādoq; etiā opportunitates huiusmodi ap petere, sicuti cōtra, diabolicū, oblatas, quæ nos facile ad peccādū alliciunt, non fugere, quod quidem si Dauid Rex fecisset, auertis setq; oculos a Bersabe Heliæ filia, idemq; a matre Caracalla Antoninus, & a Proserpi na Archas Philo, ut historici narrant, & Poetæ fabulant, dū se nudas lauarēt, ut a Pā thea Cyrus, uel ab uxore Darij Alexāder, absq; dubio nō peccassent, nec mors p fene stras ītrasset eorū, aut malorū amatores, se dignos fecissēt morte, ut dicit Hie. ix. et sap. xv. et idē ē, q olī sacrificātes uestes ad aures usq; attollebāt, ne oculi aliqd triste uiderēt.

Rob. Appetendæ sunt certe supradictis de causis, ut inquis, tum & maxime a sacerdotibus.

Man. Et cur non ab alijs.

Rob. Et ab alijs quoq;, sed (ut dixi) a sacerdoti bus maxime quia nō ad quietem, sed ad la borem eliguntur.

Man. Et alij quoq; ad idē eligunt, immo nascunt, tamet si sa-

cerdotes nõ sint, iuxta illud Iob.c.v.homo nascitur ad laborem, & auis ad uolatum. & Gene.iij.in sudore vultus tui uescẽris pane tuo, donec reuertaris ĩ terram, de qua sumptus es. & amplius de se cõfidenter loquẽs Apostolus Paulus ait, & gloriatur, gloria tamen Iesu Christi prædicasse euangeliũ, vt necessaria sibi suis manibus ministraret. i. ad corinth. ix. & in. c. sacerdos, ad fi. i. q. ij. quoniã vere ociosi, vt Teres Sitalici pater dicere q̃ sæpissime solebat, nihil ab agasonibus differunt, quia nihil agendo ẽt (M.Catonis oraculum erat) male agere homines discunt. & ea de re Adrianus quoq; Imperator optimus, ne quid aliquando emeret, vel pasceret ociosum, enitebatur, Immo ab agasone quodã prouerbium natũ est. cum Minerua quoq; manum moue. cuius asinus cum luto infixus hæreret, deberetq; illi succurrere, et ociosus Herculem imploraret, respondisse ferunt, ita demum adsuturum, si asino laboranti manum admoueret. Adde q; muta quies, vitaq; sedentaria, in ocio semota, non corporibus modo, verum etiam animis marcorem conciliat, non secus atq;

aquę latentes, propterea ꝙ vmbra sint opa
cę, torpeantq́;, neq́; profluant, putrescunt,
dicente etiam Poeta.

Cernis vt ignauũ corrũpat inertia corpus.
Et capiant vicium, ni moueantur aquę.

Idemq́; Gal. medicus, solertissimus (vt de
Aristotele etiã dicimus) indagator ait, Ma
ximum malum esse ad corporis sanitatem,
quietem, et ocium, sicuti maximum bonũ la
bor, exercitatio, et motio deniq́; moderata.

Rob. Nec ego aliter sentio, & scio amplius, ꝙ re
moto Carthaginis metu, sublataq́; ea Impe
rij Romani æmula, non gradatim, sed cur-
su pręcipiti, a virtute descitum est, & ad vi-
tia transcursum, vetus discipliua deserta, no
ua inducta, in somnum a vigilijs, ab armis
ad voluptates, a negocijs ad ocium conuer
sa ciu itas. et insuper ꝙ si Themistocles ocio
sam e gisset uitam, Græcia non expulis-
set Xersem. Nec Romana ciuitas fuisset, si
Romani Camillum non habuissent. Non
deniq́; Gręciam seruitute liberasset Epami
nundas, nisi p̃fectus rebus gerendis, & Im-
perium nactus post annum quadragesimũ,
eousq́; Thebanis ignotus, rempu. penè ex-
tinctam,

tinctam, & collabantem restituisset. Scio inquam, ꝙ nihil sine magno labore uita dedit mortalibus, quodq́ꝫ nucem frangat (ut dici solet) qui ex ea nucleum vult. ꝙ bonū parit odorem labor, ocium uero malū. Ita ut ad iuuenes crebro etiam diceret Plato ille diuinus, quo nihil sanctius habuit Græcia, ocio labores anteponite, ni rubiginem splendori præstare putatis, ꝙ maxima sine labore consequi diuinitatis est bonū, apud nos uero nō solū virtutes, sed cætera quoqꝫ præclara, sudore quæri solere, ꝙ homines ī mundum non ad opes possidendas, non ad perfruēdas delicias, sed ad labores, ut dicis, nascuntur, quodq́ꝫ uiuere in terris nō tanq̄ incolæ, sed ut aduenæ, ꝑegriniq́ꝫ debeamus futuram patriam per operas uirtutis inquirentes. Scio Paulum Apostolum dixisse, si quis non uult operari, nec manducet. ij. ad Thesalo. c. iij. ꝙ mundicie mulieribus, labores uero uiris conueniūt, ꝙ nulla memoria Vlissem commendaret, si de eius uita labores aufferremus, Nec Achillē dempto Hectore & Scamandro, minusq́ꝫ Herculē, immo uirtutem eius mutilā redderemus, si be-

ſtias feras, tyrannos, ſurſum ac deorſum, itineraq́ꝫ longa, & grauia demeremus. at neſcio, ut eō reuertar, unde diſceſſi, exēplis his tuis elegantiſſimis excitatus, ut digredi paululum ab his, quæ dicere de ſacerdotibus ceperamus, fuerit neceſſe, ꝙ Deus optimus maximus, ſi Sanctis doctoribus, maxime Hiero. & Auguſti. Grego. Chriſo. & aliȷs credendum eſt, in vineam ſuam alios operarios q̄ ſacerdotes miſerit, ut Math. xx. c. legitur, eam parabolam ita exponentibus. Quorū primus poſt Chriſtum fuit Aarō, qui in lege domini ſacerdotȷ nomen accepit, quiq́ꝫ eo iubente ante alios victimas obtulit, ut ad Heb. c v. & in cano. in ſcripturis. viȷ. q. i. et in cano. in nouo. xxi. diſt. legitur.

Man. Interpretabar ego operarios. i. peccatores, qui uocati a domino in vineam, ſi bene eam ſpem, fidem, & charitatem primum habentes, effodiſſent, coluiſſentq́ꝫ, quacunqꝫ hora ueniſſent condignam accipiunt mercedem, dicente alibi Chriſto, dignus eſt mercenarius mercede ſua, Lucæ. x. & alibi dignus eſt operarius cibo ſuo. i. mercede. x. Math.

Rob. Et de peccatoribus intelligi poſſet, ſed ita

eſt, ut diximus, tenendum, nec intelligendum ſecus.

Man. Et ita teneamus, poſteaq̄ tibi ſic placet, & cui planè ut ſacrarum litterarum viro eruditiſſimo acquieſcendum ſemper putaui, nō ſecus ac olim Pythagorici pręceptori ſuo, cui tantum auctoritatis tribuêre, ut ſatis ſibi eſſet reſpondere, ſi quis alicuius rei rationem perconctaretur, ita Pythagoram determinaſſe. Sed dic q̄ſo, quos ſacerdotes, ſeu operarios intelligis, quoniam eo deuētum eſt, ut multi ſint, et innumerabiles, & diuerſarū quidem ſectarum, Auguſti. Hiero. Dominici, Franciſci, & aliorum, quos enumerare eſſet longiſſimum, nō ſecus ac Socratici, Pytagorici, C.renaici, Megarici, Stoici, Academici, Peripatetici, Ephetici, ſeu Ambigui, Queſitores, Sceptici, Pyrrhonij, Epicuri, Cinici, & Phiſici.

Rob. Omnes intelligo, tum uel maxime præſbiteros, qui diſcipulorū typū gerunt, quiq́ȝ in eorum loco in eccleſia Dei cōſtituti ſunt, vt Math. ix. & x. & in. d. cano. in nouo. xxi. diſti. & ſi nō multū probare poſſum hanc, ut dixiſti, & bene, ſectarū diuerſitatem, quæ

certe religioni christianę laqueum iniiciũt, & confusionem, quod & ipse quoqꝫ Paul. sentit.i.ad Corinthi.c.i.ibi significatum est enim mihi de uobis fratres mei, ab his, qui sunt cloes, quia contentiones sunt inter uos, hoc autem dico, quia unusquisqꝫ uestrum dicit, ego quidem sum Pauli, ego autem apollo, ego cephe, ego autem christi, diuisus est christus? & ibidẽ paulò supra, obsecro autẽ uos per nomen domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in uobis scismata. & ibidem.c.iij. & in cano. secũdum.xix.distin. cũ enim quis dicat ego quidem sum Pauli, alius autem ego apollo, nõne homines estis? quid est igitur apollo? quid uero paulus? ministri eius, cui credidistis, & unicuiqꝫ sicut Dominus dedit. ego plantaui, apollo rigauit, sed Deus nunc incrementum dedit, itaqꝫ neqꝫ qui plantat, est aliquid, neqꝫ qui rigat, sed qui incrementũ dat Deus. & certe sicut unum Deum habemus in cœlis, vnum prælatum in terris, unã fidem in corde, & unam legem ĩ moribus, unum corpus, spiritum unum, unam spem, & unum baptisma, ut ad ephe.iiij. apostola

tumqꝫ

8

tumq̃ unum fuisse, unam sanctam catholi-
cam ecclesiam, ut in simbolo, ita unus debe
ret esse præsbiterorum, quos Christus insti
tuit, ordo.

Man. Et hoc idem etiam alio uidemns exemplo,
quoniam Imperator unus est, Iudex unius
prouinciæ vnus, ꝙ Roma duos fratres si-
mul habere nõ potuit, ꝙ q̃ in Rebechæ ute
ro Esau & Iacob bella gesserunt, in apibus
princeps unus, grues unam sequuntur ordi
ne litterato, eoq̃ magis, quia ex his pauci
sunt, qui ad messem domini colligendã mit
ti possint, pauci dico aliorum comparatio-
ne, qui stant tota die ociosi, ut a patrefamil.
conduci nequeant, & in vineam suam mit-
ti, & inde est ꝙ hinc contentiones, de qui-
bus Paulus supra iurgia, & lites inter eos,
æmulationes, persecutiones, mentis elatio-
nes, superbia, & fastus pululant, & nascun-
tur, quos Salo. in prouerb. stultissimos ap-
pellat. c. xij. nescientes ꝙ multam malitiam
docet ociositas, ut eccle. xxxiij. c. ꝙ q̃ iniqui
tas Sodomæ fuit superbia, & ocium, ita ut
nõ immerito cum eleuasset manus, & abho
minationes fecisset coram Domino, ipse

eas abſtulerit, dicitur etiam Ezechi. xvi.

Rob. Adde ꝙ viri ſancti, a quibus denominant̃, in ſolitudinibus uixerunt, pœnitẽtiam agẽtes, & procul ab urbibus heremos, antra, & ſpeluncas, pro domibus habitantes, uictu tenui, & ueſtibus, quæ uix ad corpus tegendum ſufficerent, induti, ubi alias ij in urbibus, et ſi non omnes, & monaſterijs, immo palatijs ampliſſimis, atq; pulcherrimis morantur, eiſq; ſumma eſt copia, opes, & diuitiæ, omniumq; rerum abundantia, neq; his contenti, ſuiſq; clauſtris, quibus ſepti, ſaltẽ litteris, & moribus, ac cõtemplationi et orationi uacare, operamq; nauare deberent, ac eſſe intenti, ne etiam murmurandi præberent occaſionem inſipientibus, quoniam ut dicitur eccle. x. vir prudens & diſciplinatus non murmurabit, huc & illuc quotidie mẽtis incontinentiam oſtendentes diſcurrunt, et ob id Paul. ad corinthi. i. c. vij. dicebat, nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut uacetis orationi, & iterum reuertimini in id ipſũ, ne tentet uos ſathanas propter incõtinentiã ueſtrã, quã ẽt inſolentiã alibi Papa appellat in. c. fi. de reſcri. ĩ. vi.

Sed

Man. Sed missa hęc faciamus, quoniam omnino Christum Iesum, Marie filium, omnes venerantur, atq; colunt, & hac ratione tolerabiles sunt, deq; bonis bene laudabiliterq; loquendũ, de malis vero male, Pontificiq; maximo, cuius auctoritate, quę maxĩa etiã est erectę fuerunt, molestiam hãc sinamus, & reuertamur vnde discessimus, esto q͡p, vt dicis, presbiteros maxime ĩtelligamus, qui sunt hi, qui hane cccasionem possint desiderare?

Rob. Multi quidem, quoniã presbiteri dicti sunt gręce, latine seniores, non modo pro ętate, vel decrepita senectute, sed propter honorem & dignitatem, quam acceperunt, similiq; modo sacerdotes, sacra dantes, quorum summus & princeps pontifex est, via sequẽtium, & maximus nuncupatus, qui omnes ecclesiasticos ordines disponit, seu clerici, quia Mathias sorte electus est, & primus per apostolos ordinatus, cleros autem gręce sors, latine hereditas dicitur, & sic clerici, quia de sorte domini sunt, vel quia domini partem habent, vt in cano. cleros. xxi. dist. horũ autem (vt dixi paulo ante) mul-

ti ſunt, & penè innumerabiles.

Man. Credo multos eſſe, & innumerabiles qui- dem, ſed non aptos concilio, et non ab re in parabola patriſſamil. dicitur Math. xx. vt ſupra, multos vocatos eſſe, paucos vero ele ctos, niſi de operarijs iniquitatis intelliga- mus, quos (ſcimus enim plures eſſe, et penè infinitos) Luc. xiij. etiam intellexit dicens, neſcio vos vnde ſitis, diſcedite a me omnes operarij iniquitatis. & alibi Io. chriſoſto. quem in decret. Gratia. retulit in cano. mul- ti. xl. diſt. multi ſacerdotes, & pauci ſacerdo tes, multi in nomine, et pauci in opere. vt de hominibus in genere iniquit. Ci. in lib. offi. & Abb. panor. in. c. prudentiam, in. ij. col. de offi. deleg. decꝫ Medicis Brentuis in le- ge Medicine. quorſum etiam tẽdit adagiũ apud nos vſurpatũ quàm frequenter, mul- tos ferulam habere, non tamen omnes eſ- ſe Bacchos, quomodo igitur poſſunt has oportunitates deſiderare?

Rob. Vera dicis & loqueris Mantua, ſed multi etiam ex his ſunt ſcias, & planè innumerabi les, quoniam orbis quocꝫ magnus eſt, vbi tamen chriſti fides ſeruetur, quãdoquidem

Maumethani,

Maumethani, & Turcę, aliȷ́q;, qui foris sunt, hęc non desiderent, de quibus nihil ad nos, vt.i.ad corinthi.c.v. & in. c. gaudemus, de diuor.

Man. Scio equidem hos concilium non desiderare, & vt dixisti, similes occasiones, cum nec etiam canonibus spiritualibus obstringantur, vt doctores nostri tenuere, tum vel maxime Abb.panor.in.c.i.col.iij.de consti.immo superuacaneum esse videtur, dare operam vt hi a peccato coerceãtur, qui iam propter perfidiam damnati sunt, inquit alibi tex.in cano.qui sincera.xlv.dist. Inq; materia vsuraria Iudeorum Pet. de ancha. in consil.ccxliij.incip.christianissime, in prin. & vtinam magno apparatu, ut fertur, belloq; periculosissimo, non desiderarent potius nos, fidemq; nostram christianam subuertere, cui semper insidias struũt, quam tamen nec subuertent, & si datum sit nobis, ut non solum in christum credamus, sed etiam ut inquit Paul.ad phillip.c.i.pro ipso patiamur, quoniam arbitramur facile nobis lucrũ esse mori pro christo, et in omni deniq; fiducia christũ magnificari in corpore no-

ſtro, ſicut in Paulo, ſiue per uitam, ſiue per mortem. & amplius, ꝙ in medio agri, ut. i. paralip. c. xi. ſtabit, & defendet nos, & ſalutem magnam dabit populo ſuo, quia ieiunabimus, & rogabimus eum pro hoc, & eueniet nobis proſpere, ut. i. Eſd. c. viij. & manus dei noſtri erit ſuper nos, vt ibidem dicitur, quia queramus eum in bonitate, & imperiũ eius fortitudo ac furor ſuper eos, quia dereliquerunt eũ. & ad inſtitutum redeuntes ubi nam ſunt hi, quos multos ad concilium eſſe dicis aptos.

Rob. Longum eſſet omnes recẽſere, cum nec omnes ſuccurrant etiam, niſi cogitem paululũ, prouinciaſq; & ciuitates diſcurramus, ubi optimarum artium ſtudijs operam nauantes, & re ipſa, & fama, cognoſcuntur.

Man. Si non ſuccurrunt, memoria tecum ipſe poſtea repetes, & ut primum tibi occaſio data fuerit, eos enarrabis, nunc ſi placet, de concilio ſermonem habeamus, quod quidem nobis loquendi argumentum pręſtitit.

Rob. Habeamus inquã, quippe cum nec aptius, uel gratius, hoc tempore pręſtari potuerit, ſed uide mi Mãtua, ne prius de perſonis cõciliaribus

ciliaribus dicere expediat.

Man. Immo nec aliud expedit, & uere oportune mihi collaphum impegisti, quasi nescirem id documento nobis Iurisconsulti commostratum esse, ut cũ de aliqua re disputamus, personas prius quàm ipsam rẽ inquiramus, ut in.l.si quęramus.ff.de testa.& in.l. quidã referunt.ff.de iu.codi.& in.c.i.de accusa.

Rob. Et eo fiet, ut facile etiam hi mihi in mentem ueniant, qui concilio apti sunt.

Man. Bono igitur omine incipe, & eloquere pro ut spiritus sanctus dabit tibi, sicuti quoq;, ut legitur act.c.ij.loqui sanctos Apostolos uarijs linguis docuit, fluatq; ut ros eloquium tuum, & quasi imber super herbam, seu quasi stille super gramina, ut dicitur Deuto.xxxij.quia auscultabo sermones tuos, & ad eloquia tua inclinabo aurem meam, ut Salo. in prouerb. suadet.iiij. Immo dicam ut.i.Reg.c.xxv.benedictus dominus, qui misit te hodie in occursum meum, & benedictum eloquium tuum.

Rob. Videris mihi his litteris sacris, ut conijcio Mantua, multũ profecisse, et breui quidem

temporis interuallo, immo triduo, homo uehementer occupatus, & ad tam magnam frugem peruenisse, ut tu concilio aptus esse uidearis.

Man. Gaudeo me abs te laudari, homine libero, ut Symonides apud Xenophontem dicebat, sed cum hæc corã me dicas, caue ne laus in adulationem trãseat, quę si modesta moderataq; non fuerit, haud suspitione caret.

Rob. Haud caret, si a stãtes etiam auscultarẽt, sed quoniam id tibi soli dictũ audisti, & ab eo quidem, quem semper tui studiosissimum agnouisti, tibi quoq; argumentum apertissimum esse debet, adulatione caruisse.

Man. Et ita credo, licet me non eum, quem dixisti, esse sentiam.

Rob. Aliorum sit iudicium, ne me amplius adulatorem appelles.

Man. Vtinã Principes huiusmodi haberent adulatores, quoniam facile putaremus esse posse, ne alios se ostenderent, nisi quales esse debent.

Rob. Certe his uideris, non minus mihi modo adulari, cui si nõ credis, quomodo facile adduci possum, ut tibi credam?

Ergo

12

Man. Ergo tu quid de me uelis credas, ut quid ego quoq; quid uelim sentiam de te, & ad personas conciliares ueniamus.

Rob. Optime dicis, eoq; magis, quia non minus hęc a nobis quàm concilium ipsum, expetẽda sunt, ut potè necessaria quàm maxime, et sine quibus, quod perfectum sit, nihil intelligere possumus. Personæ igitur conciliares multę sunt, tum uel maxime et primum Romanus pontifex ipsius cõcilij caput, immo ipsius ecclesię, ita ut sibi soli potestas tributa sit, quamuis Papę & ipsi ecclesie simul data fuerit, ut not. in cano. ita dominus, & in cano. in nouo, & in cano. quamuis. xxi. dist. & .xxiiij. q. i. in cano. loquitur, et in cano. pudenda, & in cano. quodcunq;, & in cano. si quis ad nostrum, & in cano. ad romanã. ij. q. vi. & in. c. significasti, & in. c. licet, de electio. & qui non habet ipsum pro capite, nõ habet christum, ut in cano. nolite. xi. dist. & in cano. ita dominus, quã alibi clarius. xix. dist. & presertim ibi, ut ab ipso quasi a quodam capite dona sua, uelut in corpus omne diffunderet. cuius quidẽ uicarius est, et sibi soli dictum, tu es petrus, et super hanc petrã

ædificabo ecclesiam meam, ut æterni templi ædifficatio mirabili munere gratiæ dei in petri soliditate consisteret, ut Math. xvi. c. Item alibi Io. xxi. si diligis me pasce oues meas, nec semel tantũ, sed bis & ter, & usq; ad contristationem. & inde est, q qui secus opinatur, errat grauiter, iure merito castigãdus, quandoquidem in articulo dicatur, & unam sanctam catholicam ecclesiã, & glo. sensit in cano. non autem. vij. q. i. & in cano. qui episcopus. xxiij. dist.

Man. Adde quod in eius consecratione, seu in tronizatione dicitur, tribuas ei domine cathedram pontificalem ad regendam ecclesiam tuam, & plebem tuę sortis, intra mundi limites uniuersam.

Rob. Nec sane dubium habet, cum sine eo quoq; concilium corpus acephalum dicatur, ut in cano. submittitur. xxi. dist. idest sine capite, ergo (ut iam diximus) sine christo, iuxta illud Paul. ad ephe. i. & ipsum dedit caput super omnem ecclesiã, quę est corpus ipsius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. & . iiij. ueritatem autem facientes ĩ charitate crescamus in illo, per omnia qui

est

est caput christus, & sicut uir caput est mu-
lieris, ita christus ecclesię, ait idem. v. ipseq;
saluator corporis eius. & ad colossen. i. testa
tur, omnia per ipsum & in ipso creata esse,
& ipsum ante omnes, & in ipso omnia con
stare, & amplius ipsum esse caput corporis
ecclesiæ, qui est principium primogenitus
ex mortuis, in omnibus primatum tenens.
ut igitur concilium, in quo uniuersalis eccle
sia repre sentatur, ut in cano. maiores. xxiiij.
q. i. concilium uere sit, & non acephalum, ca
putq; habeat, & christum habere debet, &
primum ut supra Romanum pontificē, qui
solus, seu ad quē ipsius concilij cōgregatio
spectat, ut ī cano. i. & ī cano. regula, & seq.
xvij. dist. & ne cōuēticulū, seu cōciliabulū
dicatur, irritūq; sit, & inane quicquid in eo
agatur, puniantur q; grauiter, sine eius au-
ctoritate ad ipsum congregantes, ut sedis
apostolicę maxime communione careant,
quod, ut in cano. multis, ea. disti. Symma-
chi temporibus euenisse legimus. & qui nō
solum id ipsum (vt diximus) congreget,
quemadmodum Moses iussu domini sep-
tuaginta uiros de senioribus Israel, ut nu-

me.c.xi.uel ut alibi dicitur, maiores natu ꝑ tribus, atq; doctores, Deuto .xxxi. seu ut Ezechias sacerdotes atq; leuitas in plateam orientalem, ut.xxi. paralipo .uerum etiã intersit, immo presit illi, & presidentia quidẽ inenarabili atq; suprema, ut Gregorius, Nicolaus, Hylarius, quorum mentio fit in .c.i. de simo. & in cano. cum pastoris.ij.q.vij.& in cano. si quis dogmata. xxv. q.ij. & in cano. quod quis.xxxv.q.ix. & ĩ cano. in nomine domini.xxiij.dist. tum & maxime in suprascriptionibus, & similes, quos tibi enumerarem facile, nisi breuitatis ratio, aliaq; multa, quę supersunt, aliud suaderent.

Man. Recte facis Roberte, cum maxime satis sit, si duorum uel trium testimonio hoc idem cõprobetur, quoniam quod per se rectum est & utile, non eget prolixa oratione, adeo ut cum ephoris quidam opportuna loqueretur, pluribus tamen q̃ sat esset, Anaxandridas hospes dixerit, re necessaria in non necessario uteris, et si loquacitate opus est, oportet eã ad inhonestas causas adhibere.

Rob. Et preuaricatio etiam est, cursim et breuiter attingere, quę sunt inculcanda, infigenda, et

da,et repetenda, Immo ut aliæ bonæ res, in quit Plini. Ceci. ita bonus liber eo melior est, quo maior,

Man. Mediocritas igitur laudabilis, quę in his ipsis regula optima est, ut Ci. inquit, sed dic quęso, congregat ne alius interdum quàm Pontifex romanus, concilium?

Rob. Minime, nisi de pontificatu ageretur quæstio, uel ipse Pontifex accusandus sit ut hereticus, quod et Io. And. in. c. licet, de electio. et ĩ. c. i. de renun. in. vi. et Hug. glosator antiquus in cano. si duo. lxxix. dist. firmarunt, et not. in. c. in fidei, de here. in. vi. et in cano. si papa. xl. dist. et nimirum, quia de eo exauctorando, et de causa propria agitur, quo fit, ut si ipse congregaret, et congregando preesset, sibi ipsi etiam ius diceret, et male ac perperã, ut in. l. i. C. ne quis in sua cau. et in. l. nullus. C. de iude. et in. l. i. ff. de aucto. tuto. et per Gemi. in. c. si apostolicę, de re iud. in. vi. et Bal. in. c. olim, col. iiij. de rescrip. et in simili glo. in cano. cum pastoris. ij. q. vij. Idemq; si se Pontifex negligenter haberet, et tempus congregandi laberetur, ne ecclesia preiudicium patiatur, infestetur

eius salus, aut statui perturbatio contingat, ut in cano. memor. xxiiij. q. i. quod quidē si in aliјs turpe est, in eo, qui se christi uicarium profitetur, turpissimum esse arbitrabimur, iuxta illud Poetę.

Omne animi uitium tāto conspectius in se
Crimē habet, q̄to maior, qui peccat, habet.

Et hac de re Iuli. Drusus Pub. non immerito claruit, q̄ domus eius (vt Plutarch. refert) cum uicinis pluribus ex partibus conspicua pateret, eamq́ꝫ talentorū quinqꝫ omnino sumptu, faber quidam auersurū, atqꝫ commodius directurum, reciperet, decem inquit dabo, si totam ita conspicuam exponas, ut uniuersi ciues, ne dum uicini, perspicere queant qua ratione uiuamus.

Man. Quod non congreget, si de pontificatu cōtendat, cum a cardinalibus eligatur, ut in. d. c. licet, not. de electio. planè placet, & pari modo si negligens sit, sed q̄ ipse concilium minime congreget, ut a concilio iudicetur, mirum mihi uisum est, ex quo omnia facere potest, & facit, pręter peccatum, quę potest & deus, cum dei locum in terris teneat, ut antea ostendimus, idq́ꝫ indicat, q̄ uicarius

ipsius

ipsius est, quod sanè nihil aliud est dicere, nisi idem imperium habens, ex ipsius dei commissione, & non delegatione, quia tunc secus, adeo ut tenuerint alibi doctores nostri, ut scis, presertim Io. And. Hosti. & Abb. panor. in. c. olim. i. de resti. spol. & in. c. quãto, de transla. prela. et in. d. c. licet, de electio. ꝗ superiorem non habeat, ꝗ nulli omnino subsit, & ꝗ unum deniq; eius sit consistorium cum deo.

Rob. Ne tibi mirum uideatur Mantua, quia vera hec omnia sunt, si non agatur fidei quæstio, quæ adeo magna & grauis est, ut multa contra iuris regulas recepta sint, & maxime ut Papa a cõcilio iudicetur, superiorem habeat tunc, subsit alteri, nec idem cum deo sit cõsistorium eius, & si quos allegasti, acutius leges, non autem (quemadmodum dici solet) ut canis egyptius fugiens, salutaueris, non aliud eos sensisse comperies. Quã ob rem etiam donum electum alibi appellatur Sap. iij. & ad Ephe. ij. donum dei, per quam, dum sumus in hoc corpore, ut inquit Paul. ij. ad corinth. v. ambulare debemus, scientes ꝗ non iustificatur homo ex operi-

bus legis,nisi per fidem,ut ad Gala. ij. &.v.
ꝙ non solum charitas,gaudium,pax,patiē-
tia,benignitas,bonitas,longanimitas,man
suetudo,modestia,continentia,castitas,fru-
ctus spiritus sunt,sed & maxime fides, qua
iterum et adhuc,per gratiam saluati sumus,
ut ad Ephe. ij. & per quam, ac sine qua, ait
idem Paul.ad hebre.xi.impossibile est pla-
cere deo.quomodo igitur his, idē esse cum
deo pontificis consistorium, posseq́ꝫ eum a
nemine iudicari, uel nulli omnino subesse
uelis,non uideo,si hereticus accusetur, idest
de fide dubitans,seu fidei opinionem erro-
neam habens,cum in fide sit christus, & fi-
des,quam habere debemus, in Christo, ut
ad Ephe.i.

Man. Scio inquam eos idem sensisse, nec dubita-
bam, sed nescire me id dissimularā, ut te ad
loquendum excitarem, non secus ac Glau-
cus apud Platonem de iniustitia loquens,
Socratem,eoq́ꝫ magis,cum nec sciam, quo-
modo esse possit,ꝙ de pontificatu(ut dixi-
sti)contendatur,quandoquidem instinctu
spiritus sancti eligatur quis,ut in. c.ubi peri
culum,de electio.in. vi. & ille sit pontifex,
qui

qui quęsitus cogitur, rogatus recedit, inuitatus effugit, & cui sola suffragatur excusandi necessitas, ut dicitur in .l. si quenq̃. C. de episc. & cle.

Rob. Sponte currenti, cur est q̄ calcar admouere studes? mihi enim persuasum erat, ne dum unum hoc (ut ais) te nunc dixisse, quod tamen haud ignorabas, sed & alia multa etiã, quę nec ignoras, nec est ratio, cur ea ignorare possis, ac debeas, & propterea ob id loquere audacter, quidq̃ uelis dicas, quoniã ita fiet, ut a me quoq̃ nulla, uel scias, uel nescire dissimules, recusetur disputatio, meq̃ musicum (ut græci dicunt) promptarium habebis, de unaquaq̃ re (arrogantia absit) disceptantem, quę tamẽ ad propositam materiam faciat, & ut tibi, prout in uotis habes, satisfaciam, nunc ad institutam dubitationem redeuntes, scies bene uerum esse, nec aliud dici posse, pontificẽ spiritus sancti instinctu, & eo maxime cooperante, eligi solere, ut uinea electa dicatur, de qua Hiere. ij. c. nec in agro domini sterilis sit, ut Malach. iij. inquit, sed fructuosa, deq̃ fructibus eius comedamus, ut. iiij. Reg. c. xix. sed esse posse

etiam ut de electione contendatur, quamobrem & eo tunc concilium congregandum esse dicimus, propter scisma, & ut uniuersalis ecclesię statui consulatur, quoniã eo tunc is, quem concilium probauerit, spiritus sancti instinctu electus dicetur, eritq́ põtifex, ut in prealleg. cano. si duo. lxxix. dist. continetur, & ita ac per illum tex. Pisis, nec non & Constantię, ut refert Abb. panor. in. c. licet, etiam supra alleg. col. iij. de electio. obseruatum, et iure merito, extitit. Immo dico tibi amplius, utrumq́ a concilio repelli, scãdali ratione, tertiumq́ eligi posse, ut in cano. si papa. xl. dist. quod & Bal. sensit in. c. olim col. fi. de rescrip.

Man. Et recte quidem, imo ea ratione, nunquam deberet nisi tertius eligi, quoniam si scandalum timendum est, in ecclesia magis ac magis timeri debet.

Rob. Etiam episcopus compellitur renunciare iuri sibi iam quęsito, si scandalum timeatur, et magna ecclesiæ perturbatio, ut inquit Inno. in. c. nisi cum pridem, col. ij. de renun.

Man. Ergo multo magis mi Roberte, quęrendo, quod (ut scis) facilius nobis aufertur. l. qui

autem

autem.ff.quę in frau.credi.l. filius paciſcendo.C.de pact.l.i.C.qui admi. & hæc ſanè dubium non habent. Verum ex te ſcire adhuc cupio, poſtquàm his caſibus Papa caput non eſt concilĳ, neq; concilium congregat, quis illud congregabit?

Rob. Cardinales.

Man. Ego ſecus credebam,

Rob. Quid?

Man. Quod Imperatoris eſſet onus, nec ab re, quoniam id quoq; Honorium Imperatorem alias feciſſe comperi in.d. cano. ſi duo. lxxix.diſt.

Rob. Verum eſt, nec ego ſecus ſentio, ſed patrocinando, quando ecclesię poteſtas deficiebat, ut in cano. princeps, & tribus ſeq. xxiĳ.q.v. & eo quidem tempore, quando ecclesia parum poterat, non cum ad uerum uentũ eſt, ut in cano. cum ad uerum. xcvi.diſt. & cum primum Conſtantinus ipſi ecclesię donando Imperiũ, id ipſum ſucceſſoribus minuit, cuius mentio habetur in cano. Conſtantinus, ea.diſt.

Man. Dubito ego ualde, quia Imperator etiã eligit pontificem, ſeq; ipſius electioni immi

ſcet,ut in cano. Adrianus. lxiij. diſt. Immo & deponit,ut Otto primus Theutonicorũ Rex Ioannem duodecimum,ut in cano. in ſynodo,ea.diſt.ergo & concilium congre- gar,& non negabis.

Rob. Negabo audacius,ex quo id ad tempus, & ex cauſa cõceſſum eſt, poſteaq́ʒ reuocatum, Nec antedicti Ioannis depoſitio iure facta fuit,uel ſi iure facta eſt, eam Leonis auctori tas prius comprobauit,ut in.d.cano.legitur latius,& in cano.ſancta,in.§.uerũ,& in ca- no.ſacrorum canonum,in.§.ex his, ea.diſt. Immo dico tibi, ꝙ nec eſt ipſe Imperator, ſicuti nec alius laycus,de his,qui cõcilio ad- eſſe debent, niſi inuitentur ſpecialiter, uel cauſa fidei tractanda ſit, quoniam tunc etiã non uocati,ſuaq́ʒ ſponte uenire tenentur, ut not.in.c.fi.de his quę fi.a prælа. & in cano. adrianus,prealleg.in fi.lxiij.diſt. et in cano. nos ad fidẽ.xcvi.diſt.ut Pipinus Rex apud Vermeriã,ut in cano.ſi quis ĩgenuus.xxix. q.ij.Martianus Imperator in Calcedoñ.ut in.d.cano. nos ad fidem, & Conſtantinus in Niceno,ut in.d.cano.Conſtantinus.xc- vi.diſt.

Man. Dic queso, quod nanque concilium unquàm factum fuit, in quo non sit fidei questio tractata.

Rob. Quid tum, satis mihi est, quod de personis conciliaribus non sit, preterquàm eo casu, ut diximus.

Man. Ita est, & uere non possum non omnia hec probare, adeo ut nec dubitem amplius.

Rob. Nec sanè dubitandum est, ubi auctoritates claras habemus, exemplaque apertissima.

Man. Sequere igitur si placet, aliosque dicas, qui concilio adesse debent.

Rob. De Cōstantini donatione nihil locutus es, quod unum a te maxime expectabam.

Man. Nec loqui intēdo, cum adhuc lis (ut aiunt) sit sub iudice, cūque semper tenuerim ego, dicant alij quid uelint, absque dubio ualuisse, quoniam a deo processit imperium, illiusque deus causa efficiens fuit, ut in. §. i. quomo. opor. epis. legitur, & ecclesiæ donando, donat deo.

Rob. Nec ego secus tenendum censui, quamuis multa sint etiam, quibus contrarium facile suaderi posset.

Man. Multa sanè, sed minus uera.

Rob. Verissimilia saltem.

Man. Quid tum, uerisimilitudo falsitatis quædã imago dicitur, & utcumq; sit, sentio ita, nullaq; ratione adduci unquam potero, ut aliter sentiam.

Rob. Ergo ne periculis nos sine causa offeramus, huiusq; rei frustra suscipiatur labor, silebo, & quod tibi gratius est, eloquar.

Man. Nec aliud mediussidius a te nũc exposttulo.

Rob. Cardinales igitur Pontificem sequuntur, quos paulò ante memorauimus, & sine quibus concilium esse, aut congregari, minime potest, quos fratres appellat, nisi eis ut singulis scribat, in.c. ad apostolicæ, in. §. nos itaq;, de re iud. in. vi. Immo ipsorum in specie caput est, ipsiq; membra eius, & corpus adeo unitũ, ut ab ipsis nec fidelitas, nec obedientia, sicuti nec a se ipso, exigatur, aliorũ uero, & uniuersalis ecclesię cõmune, ut not. in.c. antiqua, de priuile.

Man. Quare ergo iurant? iurant nãq;, ut eodem loco dicitur.

Rob. Quia id ipsum episcopi faciunt, quo fit, ut cõsentaneum quoq; uideatur, eos ut episcopos, non ut Cardinales, ad illud idem teneri prȩstatq;

ri, prestatq́ꝫ nobis arg. quod habetur in. l. 19
si paterfamil. in. §. i. ff. de adop. et in. l. pro he
rede, in prin. ff. de acqui. he. & in. l. aurelius,
in. §. meuia. ff. de libe. lega.

Man. Non ne Cardinales minorem dignitatem
habent quàm episcopi?

Rob. Habent utiq́ꝫ, sed tamen eorum etiam ma-
ius officium est, & administratio, tū uel ma-
xime supradictis de causis, ut sensere Bar. &
alij, in. l. i. ī. §. si quis, col. i. ff. de appella. hīcq́ꝫ
est, ꝙ quemadmodum ostium cardine regi
tur, ita sanis ecclesia consilijs Cardinalium
moderatur, a cardine, & a romana ecclesia,
quæ est cardo, & aliarum caput, a domi-
no constituta, habens pontificem, ostium
dei, & cardines, ut in cano. sacrosancta, in fi.
xxij. dist. legitur, fundamentum eius, pro-
prie dicti luminaria illius preclara, candela
bráq́ꝫ lucis, decoris, & excellentię splendo-
re radiantia, quæ, ut dicitur Zacha. iiij. assi-
stunt tanq̄ filij dominatori uniuersę terræ,
sustinentes non modo urbis, sed & orbis
etiam uniuersi pondus, ut. i. Reg. c. ij. ibi, do
mini enim sunt cardines terrę, & posuit su-
per eos orbē. Magni sacerdotes, ac leuitici

generis iudicantes, ut Deuto. xvij. unicuiq; iudicij ueritatem. Immo sanctitatem elucentes, de quibus scriptum est, sanctificamini, & estote sancti, quia & ego sanctus sum dominus deus uester, Leuit. xx. & Paralipo. xv. sanctificati sunt ergo sacerdotes & leuitę, ut portarent arcam domini dei Israel. & non immerito ex toto terrarum orbe pauci ex multis, singulares ex omnibus assumi debent, atq; a uulgaribus officijs educti ad ipsius orbis regimen euehi. Quos etiam Gentilitas prothoflamines appellauit.

Man. Vtinam hodie etiam tales essent, quales dixisti, qualesq; esse debent, & non gigantes, qui gemuerunt sub aquis, ut Iob. xxvi. legitur, qui nõ prodesse possunt, nec curant, sed pręesse gloriantur, ceruicem erigunt, grandia loquuntur, sublimia meditantur, & nihil deniq;, quia nesciunt, operantur. Adde q nec in uerbo eorum est ueritas, non honestas in moribus, nec deniq; in cõsilijs fides, Quæstum pecuniæ, & rerum, ac diuitiarũ, non Christum sequẽtes, neq; uirtutum, aut donorum spiritualium affluentiam. adeo ut non tam auri splendore fulgeant, cui comparari

parari facile ſolent, q̃ plumbi ſquallore pal
leſcãt. & hoc eſt, quod dicebat Amos. viij.
c. & ſtridebũt cardines templi in die illa, di
cit dominus deus. & ut alibi Eſai. lxij. ſuper
muros tuos hieruſalem conſtitui cuſtodes,
& in uineis domini, uineas autem nõ cuſto
dierunt, ut Can. i. Immo depaſti ſunt, ĩquit
idem Eſai. iij. & ut locuſtę deuorarunt om-
nia, quomodo igitur hos Roberte concilia-
res eſſe dicemus? quomodo columnę erunt
immobiles? quas diuina prouidentia in ſuę
fulcimentum eccleſię alias ſtabiliuit, ut in. c.
qualiter & quando. ij. in. §. i. de accuſa. & fi-
gura Gen. iij. etiam deſignatur, cum Deus
eieciſſet Adam propter peccatum de para-
diſo, collocaſſetq́ꝫ cherubin in eo, & flameũ
atqꝫ uerſatilem gladium ad cuſtodiendam
uiam ligni uitæ, quia paradiſus eccleſia eſt,
cherubin ſciẽtię plenitudo, gladius lingua,
flammeus, ob charitatem, uerſatilis ideſt
promptus ad omnia, vt de fide rationem
redderet, ad cuſtodiendam uiam ligni uitę,
ideſt ueritatem fidei ortodoxę, per quã per
uenitur ad uitam. ſeu animalia ſenas alas ha
bentia, quibus plane leges intelligimus,

Naturalem, Mosaicam, Propheticam, Euā gelicam, Apostolicam, & Canonicā, ut in cano. omne. xxv. q. i. oculisq; plena, discre-tionis scilicet, non solum temporalium, ue-rum etiam spiritualium. vel columbę, qui-bus eos etiam ea ratione comparamus, quia quemadmodum iuxta flumen umbram ac-cipitris uenię̄tis uident, ita Cardinalis sacra rum litterarum eruditione, optimarumq; artium disciplinis undiq; circūseptus, um-brę hereticorum, spinis, tribulis, & his, qui, seminant zizaniam in medio tritici, ut dici-tur Math. xiij. c. occurrere possit, ut ī cano. qui ecclesiasticis, in fi. xxxvi. dist. quomo-do si hęc non habent, et ignorant omnia, ut quid esset pontifex, ob rusticitatem olim Phanias, quæstionibus propositis respon-debunt? quomodo a subditis differentes erunt, quantum a paleis granum, ut maxi-me exigitur in. d. cano. qui ecclesiasticis?

Rob. Nimis libere loqueris Mantua.

Man. Et uere etiam addas, nec ab homine libero aliud expectandum est.

Rob. Nil aliud certe, sed tamen scias uelim, mul-tos quoq; esse, qui dubio procul tales sunt,

quales

quales ecclesia desiderat.

Man. Scio inquam, sed longe maior numerus eorum est, quos paulo ante diximus.

Rob. Nec sanè mirũ, quia id etiam locorũ ubiqꝫ, ne dum Romę, esse uidemus, satisqꝫ ecclesiæ consultum arbitrabimur, si aliqui sint, qui eam tueantur.

Man. Ergo leges, & canones abrogandi, exigentes multa, tum & maxime in his, ętatem, mores, & litterarum eruditionem, noui præsertim & ueteris testamenti, nec nõ & sacrorũ canonum, ut in. c. cum in cunctis, de electio. qui si seruarentur, nulla nunc esset inter nos disputatio, nec tãta litterarũ caritas, adeo ut ecclesia male defendi possit, sed missa hęc faciamus, qui sunt hi defensores?

Rob. Odiosum est eos enumerare, ne qui sola nobilitate freti, se summos sacerdotes arbitrantur, erubescant, & confundantur.

Man. Si ipsis odiosum uidebitur, aliis non erit ingratum, quos non tam generis nobilitas, q̃ uirtus ad cœlum extulit, quæ sola nobilitas est, iuxta illud,

Tota licet ueteres exornent undiqꝫ Cerę
Atria, nobilitas sola est, atqꝫ unica uirtus.

Rob. Dicam, postq̃ me ipsum hortaris.

Man. Hortor, atq; etiam rogo.

Rob. Est primũ igitur ex his, qui succurrêre, Cardinalis Theatinus, uir sanè litteris cum græcis, tum etiam latinis, & hebraicis pariter, adeo eruditus, sacrarumq; litterarum lectione supra modum exercitatus, ut illo ipso satis ornata esse possit. R. P. Christiana, & si omnibus alijs esset penitus destituta, Quẽ tamen sequitur Contarenus, homo summo ingenio, summa prudentia, summaq; authoritate preditus, & ipse quoq; de litteris sacris, deq; philosophia optime meritus, & qui mihi magis e cœlo delapsus uidetur, q̃ in terra editus. Est inquam & adhuc inter istos Sadoletus, qui cum ętate iam ingrauescente se totum christianæ philosophię, secularibus disciplinis relictis penitus, uelut tenebris, in quibus tamen adeo profecerat, ut nemo ipsum facile anteiret, tantũ frugis adeptus est, & breuissimo quidem temporis interuallo, ut in ea omne ętatis tempus impendisse uideatur, ita ut lumen hodie ecclesię ab omnibus predicetur. Mitto Simonetam, senem illum maturum, & grauem, studijs cũ

pontificij,

pontificij, tum etiam ciuilis iuris stipatum, quibus in tota uita nihil putauit iocundius. Valeranum, plurimis maximisq; in rebus probatissimum, & omnium existimatione, uitę integritate, exemplaritate, & ceteris naturæ dotibus ornatissimum. Campegium tam magni intellectus, consilij, & prudentiæ, ut non solum litteris, sed omnibus etiã rebus natus esse uideatur. Grimanum elegãtissimum atq; eruditissimũ, & plurimis planẽ optimisq; artibus ornatum, nec suæ dignitatis immemorem, cui naturaliter insitũ esse uidetur, ut omnia grauiter, prudenter, & consulto deniq; faciat. Bembum non dico, tam magni nominis uirum, & tam laudatæ uirtutis, ut alienis præconijs non indigeat. Nõ Carpeñ. Burgos, Parisiũ, & Brũdusinum Aleandrũ, quoniam tales sunt, ut dubio procul litterarum eruditione, & uitę sanctimonia certatim ab omnibus, cum diligi, tum amari, & magno quidẽ studio, mereantur, & alios, quos si tibi numerare uellem, memorieq; tenerẽ (iam diu enim à curia sum absens, & magnorum uirorum consuetudine careo, qua frequentissime uti sole-

bam, adeo ut obliuioni pene omnia manda
uerim) innumeros audires, nõ ne igitur hi
soli tibi uidentur concilio apti?

Man. Aptissimi inquam, si ita est, ut dicis.

Rob. Iurato mihi crede.

Man. Et non iurato credo, ut tibi alia multa, cui
sane credendum est.

Rob. Eoq; magis, cum ipsorum libri editi, et per
uulgati passim ab omnibus legantur, præ-
sertim Bembi, Sadoleti, Contareni, et pari-
sij, locupletissimumq; huius rei testimoniũ
perhibeant.

Man. Hos libros non uidi ego.

Rob. Videbis si uolueris.

Man. Volo, & ardenter cupio, teq; rogo efficias,
ut eos uideam.

Rob. Venales sunt, tibi emas, & me hac molestia
liberabis, quandoquidem etiam ipse meos
Lombardo Amulio, quem tui studiosissi-
mum esse scio, commodauerim.

Man. Et ita faciam, postquàm habemus unde eos
depromamus, sed dic quęso, cur non aptos
pontifices crearunt aliquando, creantq; in
dies, ipsiq; canonum auctores primi in ca-
nones incidunt, neq; se potius ut Charon-
das

das ille Tyrius, proprijs interficiunt manibus.

Rob. Quia non semper possunt canones ad unguem (ut aiunt) seruari.

Man. Et male quidem, si non sit causa, qua nobis ab illis ipsis recedere liceat, quam semper excipimus, qualiscunque fuerit dispositio, ut in. l. si hominem. ff. manda. & in. l. tutor qui repertorium, in prin. ff. de admi. tu. & in. l. si minor. ff. de ma. uind. Immo leges ipsas trāscendere licet ex causa, inquit Inno. in. c. i. de consti. & peierare etiam, seu mauis a iuramento recedere, quod uerius est, ut in. l. qui iurato. ff. qui satisda. cog. & amplius hominem occidere, quo scelere tamen nil maius esse uidetur, ut in. l. ut uim. ff. de iusti. & iu. l. i. ff. de iu. perso. & in. l. qui seruū. ff. de uerbo. ob. idque Ci. in lib. offi. confirmat. & hominem ne dum, sed patrem quoque, fratrem, & uxorem. l. minime. ff. de religio. & sump. fu. l. fi. ff. de re. diui. l. gracchus. C. ad leg. iul. de adul.

Rob. Optime dicis, neque eos fecisse aliter credendum est facile, minusque tibi assentiendū, quod in dies tales creentur, quādoquidē Paulus.

III. Pontifex maximus, qui hodie clauum tanti Imperij tenet, gubernaculaq; . R. P. Christianę tractat, & prudentia sua moderatur, neminem hucusq; creauerit, qui non ea omnia habeat, et consecutus sit, quę ĩ quouis summo ac maximo uiro desiderari possint.

Man. Fecit equidem rem pontifice dignam, quoniam ecclesia indiget uiris litteratis, & non asinis deferratis, ut exaltentur super cedros libani elingues, et sine sensu, et qui uix sciũt, manus dextra quot digitos habeat.

Rob. Igitur alij male fecerunt, qui quãdoq; alios creauerunt concilio non aptos.

Man. Immo pessime, cum non uideam etiam, quę causa esse possit, cur leges transcendantur.

Rob. Caue ne de pontificis potestate, hoc pacto, quæ in eo summa est (ut scis) male sentire uidearis.

Man. Percontari huius rei causam, de qua disputamus, non est, de pontificis potestate male sentire.

Rob. Dicam ego posthac, si scire desiderabis.

Man. Et cur non in pręsentiarum.

Rob. Ne deuia, & a cepta disputatione nimium deflectamus.

deflectamus. 24

Man. Sequere ergo, & cum eò uentum fuerit, ut huiuſce rei commode aliquid loqui poſſis, id, & quæ nunc prætermittis conſulto recordare.

Rob. Faciam q̃ promptiſſimo animo.

Man. Et ego intento nunc te audio, ne omnia dilabantur, ſi unum aliquod effugerit.

Rob. In concilio ergo Patriarchæ etiã adeſſe debent, ſine quibus male eccleſiæ neceſſaria tractarentur, ſeu primates, ut uis, quoniam eadem dignitas eſt, quamuis nomina diuerſa, ut in. c. duo ſimul, de offi. ordi. & in cano. i. & .ij. xcix. diſt. græce ſic dicti, ab archos, quod eſt princeps, quoniam alias latine patrum principes appellantur, ut in cano. cleros. xxi. diſt.

Man. Sunt ne iſti adeo multi?

Rob. Multi quidem, tum uel maxime Conſtantinopolitanus, Alexãdrinus, Antiochenus, & Hieroſolimitanus, de quibus in . c. antiqua, de priuile. & in. c. graue, de præben. & in cano. ij. xxij. diſt. horumq; ſedes principales, poſt romanam, quæ diſponente domino, ſuper omnes alias ordinarię poteſta-

tis, obtinet principatum, ut potè mater uni-
uersorum christi fidelium, & magistra, ut
ĩ.d.c. antiqua, cũ dixit beato Petro, tu es pe-
trus, & super hanc petram ędificabo eccle-
siam meam, ut Math. xvi. c. et in cano. sacro
sancta. xxiij. dist. quod et alio loco supra etiã
licet ad aliud, recensuimus. & non ab re,
quia sicut beatus Petrus apostolus primus
fuit omnium apostolorũ, ita & ecclesia suo
nomine consecrata, prima esse debet, & ca-
put cæterarum, ad quam quasi ad matrem
atq; apicem, omnes alię recurrant, ut in ca-
no. dudum. iij. q. vi adeo ut hereticus sit, qui
secus credit & tenet, ut in cano. ij. ea. dist. in
qua etiam sedes patriarchales sunt, cõmuni
ter quattuor, sanctorum Petri & Pauli, san
cti Laurentij extra muros, sanctęq; Marię
maioris. addunt & alij Lateraneñ. quę con-
stantiniana cognominata est, ut in cano. in
nomine domini. xxiij. dist. & in. c. fundamẽ
ta, & ibi not. de electio. in. vi.

Man. Aquilegieñ. omittis, Geãdeñ. & Biturieñ.

Rob. Dixi iam eas, quas tibi enumerauimus, prĩ-
cipales esse.

Man. Et si principales sunt, non est propterea q;

& hi

& hi adeſſe concilio non debeant.

Rob. Debent abſq; dubio, ſed tibi, huicq́; rei ſatiſ
factum eſſe putabam, cum patriarchas dixiſ
ſem adeſſe debere, eoq; magis quia ſunt etiã
qui arbitrantur hos, quos modo nomina-
ſti, non patriarchas, ſed primates proprie
appellari.

Man. Vtcunq; ſit, haud multum curandum eſt,
dummodo et ipſi concilio apti ſint, digniq́;
non potius abeſſe quàm adeſſe.

Rob. De his aliâs.

Man. Immo nunc, quoniam de perſonis concilia
ribus quęrimus, nõ tam ut pręſint, q̃ ut pro
ſint, & an tales ſint, ut prodeſſe poſſint.

Rob. Male etiã de cardinalibus ſentiebas, adeo
ut neceſſe fuerit mihi, aliquos tibi enumera-
re, quos ne dum concilio, ſed cuicunq; rei
aptiſſimos eſſe intellexiſti.

Man. Cõcilio nihil maius dici poteſt, iccirco mo-
rum honeſtas etiam, & litterarum ſcientia
maior eo tunc deſideratur, quoniã alias quã
ta eccleſijs damna proueniant, & chriſtia-
nę R.P. nemo ſanę mentis ignorat, ut dici-
tur in.d.c.graue. ſcio enim canibus multos
potiusq̃ litteris oblectari.

Rob. Ergo non omnes, & si omnes etiam (ut sentis) illis oblectarentur, haud reprehensibile esset, quandoquidem id recreationis gratia agant, a ratione non alienum, quoniam ipsa magistra secundum labores adoptanda est quies, & post ingrauescentes defatigatione animos, delinimẽtum aliquod quærendum, cum exploratum etiam sit, post datum ad opera diem, somni & quietis parentem succedere noctis uicem, De Scipione et Lelio nota est historia, De sceuola item & Socrate, quorum alter forensibus negocijs fatigatus alea & calculis, interdum pila ludebat, alter uero more puerorum harundinem ascendebat, ita ut aliquãdo ab Alcibiade iuentus, derisus sit, deq́ alijs innumerabilibus, sed habe adhuc ꝙ Achilles a sudoribus bellicis, & hostibus ad Troiam cęsis, cãtus ac cytharam hac ratione attigit. & ꝙ Amasis Ægyptiorum Rex cum aliquando compotationibus operam daret, interq́ cõpotores iocaretur, Morionem & Scurram agens, Ægyptijs ipsum accusantibus, quasi ea Regi minime conuenirent, sic dicere solebat, Arcus, si semper intenti sunt, rumpuntur,

tur,

tur,hac similitudine p̄sentiens, homines pa ri modo si assiduo labori incūbant, nec ulla ex parte sibi indulgeant, opere debilitari, actioneq; frangi, & pedetentim mente ca-pi,aut membris. 26

Man. Magni certe sunt labores,quibus hi quoti-die excruciantur, recreatione ea de re indi-gentes, adeo ut nec podagra laborent, nec chiragra,nec ob id asium lapidem aliter ex-petant,ocij ac delitiarum argumentum pla nè apertissimum.

Rob. Non minus certe hoc morbo plerumq; la-borant, qui fatigantur, quàm qui ocio & delitijs marcescunt, si maxime labores im-moderati fuerint.

Man. Hoc idem esse plerumq; dicis,& recte qui-dem, ex quo ipsa rerū experientia, ut in plu ribus,contrarium euenire uidemus.

Rob. Vtcunq; sit, uel ociosam ducant uitam, uel laborent,omnino id recreationis gratia (ut dixi) sibi a lege permittitur.

Man. Falleris,quia immo lex id ipsum uetasse ui-detur,ut in.c.i.&.ij.de cle. uena. ubi omni-bus seruis dei (nota uerbū) uenationes,& siluaticas fatigationes cum canibus, & acci-

pitres, aut falcones habere interdictum est, & plus q non simpliciter dixit seruis dei interdictũ, sed omnibus, ut uniuersali hac dictione neminem exciperet, uulg. l. iulianus. ff. de leg. iij. c. solitę, de maio. & obedi.

Rob. Non fallor certe, ex quo intelligitur, si uoluptate hac, & sępius quidem detineantur, eã in consuetudinem perducentes, ut tex. met. in. d. c. i. sentit, & glo. ibidem declarat, non aliquando, & ex causa supradicta, sicuti nec generaliter in omni uenatione, ut putà hominum oppressiua, adulatoria, arenaria, & similibus, nec in omnibus personis passim admitti solet.

Man. Blandiuntur certe leges, quoniã nullus uenator sanctus inuentus est, peccatores multi, hisce negociationibus operã dãtes, quod exemplo Esau potissimum ostendi potest, qui similis erat, ut ĩ cano. Esau. lxxxvi. dist. & Acteonis pariter, quẽ poetę ingeniosissimi & prudentissimi rerum indagatores, nec fabulosi simpliciter (ut multi astruũt) sed eruditissimi homines, et diuino quodã artificio prediti, a canibus discerptum fingunt, quoniam hi bona omnia sua dissipãt, et consumunt.

et consumunt. vel quia re ipsa et uere etiam uenatoribus euenire soleat, ut a feris occidã tur, quemadmodum Hias a leena. Teucer uero Priami Regis filius in Bebritijs siluis ab urso. Adde ꝙ uenatio (ut apud Xeno phõtem legitur) est quasi quoddam rei mi litaris pręludium, & bellicę uirtutis simula crum, ita ut nihil in eo studio facile reperiri queat, quod sit ab ipsa militia, & ab armis uel alienum, uel disiunctum, nam prima lu ce surgere, sitim, famẽ, ęstus, frigora, labo res, & alia sexcenta incommoda tolerare di scimus, insidias, simulationes, dissimulatio nesq́ꝫ, iaculandi, sagittandiqꝫ artem, cum ro bustis & animosis concurrere feris, ac de ui ctoria decertari, Quę omnia et singula sunt uia quędam, ars, & industria, ad uerum cer tamen. quomodo igitur clericis, seu his, qui concilio adesse debent, permissa ullo modo esse uidentur? dicam ego si lex hoc ipsum permittat, militiam etiam sibi ipsis non de negari.

Rob. Omnia sano modo Mantua, intelligenda sunt, quod tu quoqꝫ non ignoras, q̃uis ad uersus leges loquaris, & supra ostensum est

amplius, hac de re non repetendum aliter.

Man. Facio equidem ut nihil indiscussum relinquamus, & de industria, sed dato ꝙ hanc interpretationem habeant omnia, prout habent, ꝙꝙ dictiones uniuersales in locis prę alleg. restringantur, ut iura uulg. dicunt in. l. inter omnes. ff. qui satisda. cog. & in. l. qui autem. in fi. ff. de consti. pecu. & in. l. fi. C. si. cen. uel reliq. & ubiq; not. ipsaq; ratio suadet, dic quęso, quare his etiam piscatio absolute non est prohibita, ut uenatio, & nouissime in cano. quid prodest, & seq. lxxxvi. distin. & in cano. quorundã xxxiiij. dist. alias enim inter cæteros piscatores non elegisset Apostolos Christus Iesus Mariæ filius, ut Math. iiij. & Luc. v. legitur.

Rob. Forte propter silentium, quo facilius contẽplari possint q̃ uenando, ubi clamoribus & uociferatione tunc opus est. Immo ꝙ & uenatores sancti etiam inuenti sunt, ut Eustachius, & uenatio in gallijs, sicuti piscatio permissa absolute.

Man. Vtrunq; probo, nec de silentio dictum antea sperno, quoniam Eustachius uenatum relinquens opera sanctitatis exercuit, ut in-

terpretes

terpretes omnes in.d.cano. quorundã,aiũt, 28
& bene,ſubijcientes aliud,neceſſitatis cauſa permiſſum eſſe ibi,ex quo aliter uiuere nequeunt.& quoniam ſilentium(ſingula ſingulis referendo)etiam tutiſſima res eſt ab omnibus,& in omnibus quidem perſonis, tum uel maxime clericis, deſideranda, cultus iuſtitię,ut pax eiuſdem opus pulcherrimum ſane,& laudabile,quod diuinũ quoddam quoq; Pythagorici eſſe opinati ſunt, & eiuſdem deus nobis pręceptor,quemadmodum dicendi homines,ita ut non immerito ipſum in clauſtro,in cella, ĩ refectorio, & dormitorio habeant religioſi,& ubiq; tandem locorum, ſcientes in eo mali quippiam non eſſe,in loquendo & clamãdo uero,plurimũ,& dicendi homines magiſtros dixi, quia nullas artes abſq; doctore diſcimus,excepta tacendi,quę tam uilis et facilis eſt,ut Hiero.teſte,Eccleſias.c.iij. ſuper illis uerbis,tempus tacendi, & tempus loquendi,pręceptore nõ egeat.et adeo tuta ad propoſitũ, ꝙ index digitus pollici proximus, ſalutaris a ueteribus appellatus eſt, idcirco quia illo ori admoto,ſilentiũ(ut diximus)

quod multis de causis salutaris res dicitur, hominibus admonemus.

Rob. E fumo in flammam (ut aiunt) incidisti, quia si ex causa alicubi permissum est, utiq; etiam id recreationi haud est negandum.

Man. Permissum ĩquam est, nec supra negaram, nisi ut omnia acuratissime disputarentur, facto iam transitu ad piscationem, omnibus & ubiq; passim permissam. tum uel maxime quia clientes, famuli, et alij his assueti uenantur, et clamant, uidentibus tantum dominis, ut recreati postea ad cultum, et diuina reuertantur ministeria. eoq; argumento etiam, quia clientibus carentes, ut paulò ante diximus, et uiuere aliter nequeuntes, permissionem habent perpetuam hoc idem scilicet agendi per semetipsos.

Rob. In unum ergo conuenimus quo ad omnia.

Man. Absq; dubio, ita ut iam iam diuagati paululum, et non minus recreati his locutionibus (res enim est, quę non modo uisu, uerũ etiã auditu delectat) q̃ uenationibus interdum conciliares homines, iure merito ulterius progredi possis.

Rob. Quod eo libẽtius etiam facio, ut finiamus,

ex quo

29

ex quo prolixitas reprehensionem habet. Ad concilium igitur uocantur quoq; Archiepiscopi, ut in c. cōcilia. in. §. hinc etiam. xvii. dist. greco uocabulo sic dicti, quasi episcoporum summi, idest primates, uicē apostolicam tenentes, & præsidentes tam metropolitanis quàm cæteris episcopis, ut in cano. cleros, in prin. xxi. dist.

Man. Admitto, sed quid a metropolitanis differunt, non ne his similes sunt?

Rob. Sunt quidem, uerum a mensura ciuitatum aliter appellati, quoniam singulis prouincijs preeminent, ut ibidem adhuc legitur, quorum auctoritati & doctrine ceteri sacerdotes subijciūtur, sine quibus nihil reliquis agere licet episcopis, ubi totius prouinciæ sollicitudo archiepiscopis supradictis commissa est.

Man. Que mensura inquam est ista?

Rob. Nulla alia, nisi sub se habere decem uel undecim episcopos, ut in cano. scitote. vi. q. iij.

Man. Est ne hoc cōmuniter, & semper, ac de substantia?

Rob. Non, quia Papa prīcipum gratia plerūq; hunc iuris ordinem transgreditur, ita ut in

Sicilia tres sint, quorum duo enumerantur in.c.cum causa, & ibi Abb.de offi.deleg.pa normitanus scilicet, & montis regalis.

Man. Ergo ad depositionem ipsorum episcoporum etiam procedent, quod tamẽ interpretes omnes negant in.c.ij.de transla. prela.

Rob. Nimirum Mãtua, quia soli Papæ id ipsum reseruatum est, ut ibidẽ not. ubi alias de causa ciuili indifferenter, & de paruis cognoscunt criminibus, ut in cano. si clericus. xi.q. i.& in.c.sacro de sen.exco.& per Abb.in.c. pastoralis, in prin.de offi.ordi. Immo ꝙ & ipsi concilium etiam prouinciale quotãnis faciunt, in eoq; ut principales sedent, quemadmodum in uniuersali Papa, ut not. in. c. graue, de pręben.& in.c.sicut olim, de accusa.& in summa.xvij.dist.& sensit Ro.in cõsil.ccccxxi.incip.circa propositam, in prin. adeo ut iure merito, si uniuersale fiat, quod ꝗ raro quidem fieri solet, ipsi quoq; uocari debeant, licet non in prouinciali Papa, ex quo hi in partem sollicitudinis etiam uocati sunt, ut in.c.ad honorẽ, de aucto.et usupa. & in cano.decreto.ij.q.vi.& in.c.canonum statuta, & ibi Feli.in.iij.col.ĩ prĩ.de consti.

Igitur

Man. Igitur hac ratione etiam episcopi concilia-res erunt.

Rob. Absq aliquo dubio, & legitur in forma iuramenti, posita in. c. ego enim, de iureiu. & latius. xv. xvi. & xvij. dist. ubi locus suus.

Man. Et hinc est forte quod hi fratres Papæ appellantur, ut idem Feli. in loco prealleg. testatur, & Præpo. Alexan. in. c. per uenerabilem, in. §. quod autem, in. cxxiiij. col. qui fil. sint legi. & habetur in. c. quod graui, de cri. fal.

Rob. Immo et canonum magistri, ac custodes, ut in cano. cum quibus, in fi. xxiiij. q. iij. & in cano. si quis cum clerico. xi. q. i. per que iura ita etiam dicebat Archid. i. c. de libellis. xx. dist. ex quo scire debent leges, & alios docere, non autē doceri ab alijs, ut in prin. i auc. ut cle. apud prop. epis. & in auc. causa, & in. l. repetita, & utrobiq not. C. de epis. & cle. & in cano. si clericatus. xvi. q. i. & in cano. qualis. viij. q. i. et in cano. conuenientibus, i. §. item cōstantinus. i. q. vij. et in. c. oportet, et in. c. cum in cunctis, et in. c. cum nobis, de electio. et tradit Bar. ultimo loco in auc. de sanctis. epis. etiam per illum tex. in prin. et i. §. si quis cōtra. Debent item periti esse am-

plius in utroq; testamento, ne alias si imperiti fuerint iudicati, repellantur, ut in cano. statuimus .lxi. dist. & in cano. omnes. xxxviij distin. et ponit in cano. qui episcopus, Archid. in prin. xxiij. dist.

Man. Si hoc esset ut dicis Roberte, pauci adessent quidem concilio, quoniam pauci etiam litteris operam nauant, innumeriq; sunt, qui ocio potius et inertia marcescũt, et si quam negociationem habent, siq; non dico litteris operam nauant, sed in studio morantur, ea cum lusoribus potissimum est, et fama litteras cum latinas, tum etiam græcas, et philosophiã potius quàm canones, ac utriusq; testamenti peritiam, profitentur.

Rob. Parum ne tibi uidetur, q disciplinas istas profiteantur? nam sine his, politioribus scilicet litteris nihil, quod laude dignũ sit, agere possumus, quæ principia sunt quàm maxima ad omnes scientias, philosophia uero omnium mater artium, procreatrix, et parens, nunq̃ satis laudata, donum insuper ac inuentum deorũ, quam qui profitetur, grauissimam (inquit Ci.) personam sustinere uidetur. Immo q nihil præstantius ea mor

talium

talium generi, deorum concensu atq; munere, neq; datum est, neq; dabitur. tota frugifera, & fructuosa, nec ulla pars eius, quę inculta ac deserta sit, inueniri potest.

Man. Canonibus & theologia christiana hereses defenduntur, cōcilioq; prodesse possumus non eloquentia alumna licētię ac libertatis, & seditionum comite, quam Lacedemones reprobarunt omnimodo, existimantes proborum hominum sermonem non ab arte, sed a pectore & operibus proficisci oportere. Romani uero ea de re, quia hominum uitę plus officere solet quàm prodesse, assentationis, adulationis, & metiendi deniq; artificium, quoddam ĩgeniosissimum. vsq; adeo ut Archidamus Sophista, cum raciocinaretur Pericles, plane semper se uictũ fateretur, q̃ q̃ ipsum alias in bello uicisset. et Cireneus Carneades efficeret, ut quid uerũ esset, haud facile cerneretur. Et plus q; gloriabatur Demosthenes, se quando uoluisset, posse Iudicum sententias ad suam uoluntatẽ cōuertere, sermonis artificio. Minusq; philosophia, inuenta potissimum ut nobis tantum prodessemus, ultroq; facere discere

mus, affectus nostros cohibentes penitus, quę formidine legum sanctissimarum agũt pleriq;. nam inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, & timores pellit, & sola animi medicina dicitur, nihil commune habens cum hereticorum morbis, et christianę religionis salute. Sed utcũq; sit, resq; se habeat Roberte, sequere, quoniam omnino pręsto sunt illi saltem, qui anteq̃ episcopi essent, hisce disciplinis operã nauauerãt, aliorum inscitiam supplentes. unum tamen ex te scire cupiens, an inter archiepiscopos, quorum paulò ante mentio facta est, loci distinctio detur.

Rob. Haud est dubitandũ, ex quo Mediolaneñ. Rauenateñ. præfertur, ut in cano. concilia, etiam supra alleg. in. §. hinc etiam, ad fi. xvij. dist. nec tantopere, ad episcopos redeuntes, eorum eloquentia, & philosophia pariter, si his prędìti fuerint (ut sentis) exprobrãdę, quandoquidem, ut habetur Dan. i. & Exo. iij. & . xi. & in cano. legimus. xxxvij. dist. Moyses & Daniel omni scientia Ægyptiorum, ac Caldeorum etiã eruditi fuerint, pręceperitq; Deus filijs Israel, ut expolia-

rent

rent Ægyptios auro, & argento, moraliter instruens, ut siue aurum sapientię, siue argẽtum eloquentiæ apud Poetas inueniremus, in usum salutiferæ eruditionis uerteremus. & in Leuitico amplius dicatur ꝙ mellis primitias, idest dulcedinem humanę eloquentię Domino polliceri debemns. Immò ꝙ omnis cum rhetoricę, tum eloquentię splendor, Cassiodoro teste, in expositione Psalterij, & poeticę elocutionis modus. ac uarietas, decore pronunciationis, a diuinis scripturis sumpsit exordium. quas nec Hiero. abhorruit, nec Augusti. nec apostolus ipse Paul. gentium magister, detestati sunt, ut ĩ cano. turbat acumen. dist. pręalleg. xxxvij.

Man. Omnia planè uera esse existimo, si discantur, non ad uoluptatem, & ut uerborum lenocinio atq; ornatu delectati, ultra nil aliud quęrant, sed ut gentiliũ errores legendo potius detestentur, & ad eruditionem, usumq; (ut tu quoq;, & recte quidem, proxime dixisti) sacrę eruditionis.

Rob. Nec secus agunt hi, qui in studio morãtur.

Man. Vtinam ita esset ut dicis, & iuri pontificio postea operam darent, has sciẽtias assecuti,

quod tamen non dico non faciunt, ſed nec etiam faciendum cogitant, dictitantes libraria ſuppellectili opus eſſe, et quod peius eſt, id ipſum potius baiulis quàm epiſcopis conuenire, neſcientes aliter eos conſecrari haud poſſe, iuxta illud Ozeę. iiij. tu ſcientiam repuliſti, & ego repellã te, ne ſacerdotio fungaris mihi, tranſumptiueq́ʒ legitur in cano. omnes pſallentes. xxxviij. diſti. & ni mirũ (quod adhuc ibidem dicitur) ut poſſint ſecundum mandata conſeruare populum ſibi commiſſum, eumq́ʒ inſtruere & docere, & hac de re non facile eſſent promouendi, niſi canonum profeſſores, & imbuti iam litteris ſacris, qui tamen iacent, & ut de Antonio dicebat Auguſtinus, cum doctrinis ſuis demerguntur in profundum, indocti uero & litterarum expertes cum diuitijs ſuis, & inſcitia infami ac dedecoroſa, promouentiũ culpa ſurgunt, & rapiunt omnia.

Rob. Dic queſo Mantua, non ne epiſcopi apoſtolorum typum gerunt?

Man. Gerunt vtiq́ʒ, adeo ut in eccleſia ordo maior haud inueniatur, ſecundũ glo. in. c. quia periculoſum, de ſen. exco. in. vi. quam ob

cauſam

causam Papa etiam se episcopũ uocat, ipsiq;
summi amplius alibi uocantur, in cano. de
his, de consecra. dist. v. & sanctissimi Chri-
sti legati, patres spirituales, & columnę tan
dem ecclesię, in clem. i. de pœn. quibus prin
cipes seculares quoq; assurgere debent, ut
in. c. solitę, de maio. & obe. & in cano. tribu
tum. xxiij. q. vi.

Rob. Ergo nulla scientia desiderari uidetur, quia
inter apostolos Petrus episcopus fuit, &
pontifex maximus, a retibus tamen euoca-
tus, vt in cano. legimus. xciij. dist. unde for-
te etiam ignari, & rudes hoc Christi exem-
plo ad episcopatum promouẽtur, quos sem
per etiam dilexit propter humilitatem, Im
mo ꝙ nec fuisset Adã, ut Gene. iij. legitur,
e paradiso beatitudinis pulsus, nisi scire bo-
num & malum, serpẽte magistro didicisset.
nec de ecclesia eijciendos cẽsuisset Paul. apo
stolus ad Ro. xij. quod & in. c. i. etiam dici-
tur. de renun. in. vi. & in cano. sit rector. xl-
iiij. dist. eos, qui plus scire uolũt q̃ oporteat.
nec Socrates fermè omniũ disciplinas scru-
tatus, tunc primum Apollinis oraculo sa-
pientissimus philosophus iudicatus, nisi id

ipſum palam profeſſus fuiſſet, ſe ſcilicet ni-
hil ſcire.

Man. Omnia ſecum reſponſionem habent, Petrũ
ſapientia diuina, doctrinaq; ſpiritus ſancti
imbutum fuiſſe, uſq; adeo ut uarijs linguis
ſimul cum alijs loqueretur magnalia Dei,
q̄q̄ a retibus euocatus fuiſſet. Eiectum ue-
ro Adam e paradiſo, quia malum elegerit,
non quia bonum didicerit, nec eijciendos
cenſuit Paul. ſimpliciter ſcire uolentes, ſed
ut uerba ſonant, peruerſe ſcripturas inter-
prętantes, & plus hoc modo q̄ ſcire opor-
teat, ſeu curioſitate quadam ea diſceptantes,
quę minime neceſſaria ſũt, quo modo etiã,
aut ſimili ſaltem, quę de Socrate dicebas, in
telligi debent, ex quo id animi moderatio-
ni aſcribendum erat, et ut amplius unicuiq;,
q̄uis abſolutiſſimo, documentum foret ſan-
ctiſſimum, ne extolleretur, nec ſibi tantũ in-
dulgeret, quominus in hac uita ſemper eſſe
aliquid, quod ab eo diſci poſſet, arbitrare-
tur. ignorantia igitur, et ſi natura ſui res ma
la eſt in aliquo, & deteſtabilis, quia omniũ
malorum fomes dicitur, et maximum (Pla
to. teſte ĩ. vi. Alcibiades, ſeu de uoto) malũ
hominibus,

hominibus, Immo dementia quędam (ut i. xv. de ente ait) animę, quę dum ad ueritatē nititur, intelligentia ipsa preuaricatur, tum uel maxime in episcopo repręhensionē habet, sed ad alia pergamus iã, quoniã (ut dixi) satis mihi est, episcopos ex his fore, qui pręcipue ad concilium honestandum uocãtur, si uere ipsi quoq; hoc nomine digni fuerint.

Rob. Vere oportunum uidetur, ex quo nihil est, quod nobis in re presenti dicendũ amplius supersit, aut a quouis desiderandum sit.

Man. Immo multa superessent, sed quia breuitati plerunq; etiam est consulendum, Menelai exemplo, qui (ut Homerus refert) nõ multa quidem, uerũ argutissima loqui solebat, taceo, & te ipsum attente ausculto.

Rob. Abbates igitur & nouissime conciliũ exornant quod ex eo uidere licet, quoniã Adriani tempore (ut ex histo. ecclesiastica accepimus, & transumptiue legitur in cano. adrianus. lxiij. dist.) quo Regem Carolum ad defendẽdas res ecclesię postularat (ad hoc enĩ omnes principes tenentur, nolentesq; excõmunicãtur, ut in cano. principes, & in cano.

administratores.xxiij.q.v.) id ipsum in patriarchatu lateranen̄.in ecclesia sancti Saluatoris non aliter celebratum est,nisi his interessentibus,idq; longe clarius in cano.cō uenientibus.i.q.vij. & ni mirū etiam, quia ipsi quoq; baculo utuntur, post benedictionem tamen,monachos corrigentes, & plerunq; mitra, ut episcopi, quemadmodum not.in.c.quāto,de offi.ordi.& in.c.ut apostolicę,de priuile.in.vi.& omnibus prelatis inferioribus preferūtur,ut in cano.a subdiacono.xciij.dist.& in cano.i.lxix. dist. & in.c.i.de ęta.& qual.& episcopis adhuc in aliquibus ęquiparātur,ut in.c.fi.de offi. deleg.in.vi.

Man. Quomodo concilium ij possunt exornare (vt ais) cum sint maxime pingues, et Bacchi potius personam gerant,scenę aptam q̄ concilio.

Rob. Non possum certe non ridere,q; omnes ferè semper maledictis insectatus fueris, nedum Abbates conciliares.

Man. Immo benedictis, quia nihil aliud scire faciunt (nūc de Abbatibus loquor) nisi asinorum ritu,comedere, & rudere in choro.

Omnino

Rob. Omnino magna ſcientia etiam eis haud eſt neceſſaria, ſi aliter tamen diſcreti & periti ĩ regula fuerint, ut not. in. c. pe. de ęta. et qual. & in cano. legi. xvi. q. i. & in cano. i. lv. diſt. & in cano. illitteratos. xxxvi. diſt. 35

Man. Ergo aderunt concilio (quod ſupra etiam dictum eſt) ut pręſint, non ut proſint, & officientes potius quàm proficientes.

Rob. Immo proficient, & q̃ maxime, ſanctitate uitę, & pręſentia, quæ etiam multum adiumenti affert, q̃q̃ eos damnes non parum, quaſi inter guttur & ignem cuncta ſub uentris ditione poſuerint, iuxta illud, ſpecies Priami digna eſt imperio, nam (mitto ꝙ olim boni ominis loco habebatur formoſi hominis occurſus, mali uero & inauſpicati, deformis.) Scilla deformitatem ſuã perhorreſcens ſe ſe in mari præcipitem dedit, & Vulcanus, quia claudus, in Lemno inſula a parentibus deiectus eſt. Erictonius ad tegẽdos ſerpentis pedes, currum primus excogitauit. Et Philopomenes Imperator ligna hoſpitis ſcindens, uxoris iuſſu, ſeruũ ipſum Imperatoris arbitrata, faciei deformitati (hiſtoria nota eſt) ſupplicium dabat. De-

formis etiam mulier, in Deuto. lege poterat repudiari, nec animalia maculam habentia offerebantur Deo, ut ibidē. c. xv. & . xxiiij. nec ex summorum pontificum decretis denicꝫ, ut toto ti. de corp. uitia. cęcus, claudus, mancus, lippus, gibbosus, impetiginosus, et similes, panes Deo, aut sacrificium offerebant, uitia corporis ad animum trāsferētes.

Man. Non sum adeo ignarus Roberte, ut uelim deformes pulchris & formosis hominibus pręferre, sed pingues non esse pulchros sentio, nec concilio aptos, immo ineptos, ut Cato dicebat, cum similes uideret, & reipub. infructuosos penitus, unde Cerui, cum pinguescunt, quod tempore fructuum maxime fit (teste Aristo. ix. de anima. c. v.) hac de re quia inutiles se esse sentiunt, & pondere corpulentię capi facile posse, nusqꝫ apparent, sed longe secedunt, donec agilitatē pristinam recuperent, & macerētur, nec ultra uitę sanctitas ex hoc comprehēdetur, ut saltim proficiant cōmunitati, ex quo pinguedo non ieiunij, sed delitiarum argumentum est apertissimum, adeo ut duo sint, quæ simul esse nullo modo possint, dicente Neemia.

mia.c.ix.impinguati sunt domine, abunda uerunt delitijs, & inde te prouocarũt ad ira cundiam, ac legem tuam post terga proiece runt, & Hiere. v. incrassati sunt, & impin- guati, & preterierunt sermones meos pessi me. & Deuto. xxxij. incrassatus & impin- guatus recalcitrauit. Plus sentio etiam, quod pinguedinis & corpulẽtiæ deformitate ab abbatię officio sint remouendi, perinde ac si digito carerent, uel alia qualibet macula si- mili essent deturpati, et signanter deciditur in.c.i. & in.c. exposuisti, & in.c.fi. iuncta gl. de corpo. uitia. et sic multo minus eos debe- re concilio adesse.

Rob. Et si non omnes pingnes sunt, ita ut alij con cilio commode satisfaciant, quod & tu non negabis, quemadmodum nec omnes cæci, aut claudi homines, pinguium tamen defen sionem suscipio, dic quęso, non ne origenes se eunuchum fecit, ut liberius, & occulte qui dem, persecutionis ecclesiasticę tẽpore, mu- lieribus prædicaret?

Man. Fecit inquam.

Rob. Non ne Marcus, & rursum, sibi pollicem pręcidit, ut indignus esset sacerdotio.

Man. Pręcidit.

Rob. Ergo nec ipsi concilio sicuti nec sacerdotio, apti fuissent, & tamē uterq; sacerdos factus est, ut ecclesiastica historia narrat, & glo. in cano. si quis absciderit. lv. dist. & cuicunq; rei aptissimi iudicati, ergo quāto magis pingues & corpulenti, esto q omnes huiusmodi sint, quod tamen (ut dixi) minime est putandum.

Man. Vtiq; tibi assentirem, si hęc ad consequentias (ut aiūt) trahi possent, ex quo pulcherrimum etiam Gordij arbitrantur, tūc regē creare eum, qui maxime esset corpulentus, uerum quia accidentia sunt, nec a sanctis canonibus in cęteris & communiter approbata, adduci a te nunc haud meruerunt, sed (ut dixisti) alij, qui & uitę sanctitate, & litterarum eruditione, alijsq; modis, quibus possunt, satisfaciant, & hi, quorum deus uēter est, si qui sunt interim, uētri & genio suo indulgeant, conciliaribusq; personis concilium linquant, tu uero, qui ridendo audisti, quę de corpulentis ac pinguibus dicta sunt, & quorum partes etiam tutatus es, si quid aliud restat, ad exitum perducas.

Essent

Rob. Essent alij q̄ plures, qui concilio non tam addesse debent, q̄ possunt, enumerandi, sed quoniam ij pręcipue uocandi sunt, alios de industria præteribo, tum uel maxime quia tandem finiendum est, & his modus statuē dus, ex quo alia quoq;, et fortè maioris ponderis, a nobis proposita disputationem desiderantia, supersunt.

Man. Tu maior, tibi me est ęquum parere Menalca. Sed anteq̄ incipias, si tibi uidetur, quoq; hoc vnum hic cadat docendum qualiter p̄latiad concilium uocandi sint, dicas quęso.

Rob. Citationibus inquam.

Man. Pluribus, uel una tantum?

Rob. Vna, quoniam alias a iudiciali nō differet, & male, ut not. in cano. si episcopus. xviij. dist. & in simili in cano. si forte. lxv. dist. & tradit Inno. in. c. cum nobis, de electio. cū competenti tamen dilatione, secundum Io. And. in. c. non minus, ad fi. in. ver. commoniti, de immu. eccle. & est arg. in. l. quod discimus, & in. l. ratū. ff. de solu. & in. l. si quid uenditor, in prin. ff. de edil. edic. & in cano. quouiam. xxxi. dist.

Man. Rationabile ē, sed q̄d si uocati haud ueniāt?

Rob. Puniuntur, nisi iustam habeāt excusationē.

Man. Qua pœna?

Rob. Vt a cōmunione sint penitus alieni, nec possint absolui, nisi a sequenti cōcilio, q̄q̄ alias absolutio differri minime soleat, ut in. c. qua fronte, de appella. & ad propositum in cano. si quis aūt. xviij. dist. & in cano. si quis suadente. xvij. q. iiij.

Man. Si iustam excusationem habent, debent ne certum nuncium mittere, cui credatur, an uero excusationes suas litteratorie cōscribere.

Rob. Alterum ex his sufficit, ut in cano. episcopus, & seq. & utrobiq; glo. xviij. dist.

Man. Sed adhuc, quæ sunt causę iustam excusationem prębentes?

Rob. Multiplices quidem, tum uel maxime ętas, infirmitas, domesticum funus, & tale quid aliud, hic non aliter enumerandum breuitatis gratia, & uidendum alias in cano. peruenit. xviij. dist.

Man. Nunquid recedere possint ante expeditionem concilij?

Rob. Nequaquam, adeo ut pœna antedicta puniantur, si id ipsum facere ausi fuerint, quasi concilij neglectores, ut in cano. si quis autē, pręalleg.

prealleg.xviij.dist. & in cano.certum.xi.q. 38
iij. & sic cum canonice uocati uenire conte-
pserint, aut ante finitum conciliũ abire pre-
sumpserint, uel etiam si conciliaribus præce
ptis (ut ibidem dicitur) postquàm illuc ue
nerint, obedire respuerint. Et hec de perso-
nis conciliaribus tacta sufficiant, ut iã (quẽ
admodum proxime diximus) finiamus,
oram soluentes, & uela dantes uentis, ut ad
ipsius concilij quoq; disputationem, seu di-
sputationis portum perueniamus.

Man. Postq̃ hoc ipsum desideras, quod et ego ex
te scire etiam quàm maxime cupio, & preci
pue quidem, quia nihil relictũ est a nobis,
quoad predicta amplius desiderandũ enũ-
cia, faxit ita Deus optimus maximus, ut lo-
quaris ex animo, & ardenter, sicut cepisti,
quoniam futurum hoc ipsum sperabimus,
ut non minus utilitatis capiant lectores sali
bus tuis, quàm uoluptatis leporibus, qui-
bus scates plurimũ, et cõcinnitate loquẽdi.

Rob. Mittamus ista, que ab ingenuo uiro longe
aliena esse debent, & rem ipsam euestigio
aggrediamur.

Man. Ergo adulatoris nota me ipsum hoc modo

tacite subaccusas.

Rob. Absit, immo moneo te, ut caueas ne adulationibus assuescas, et adulatorem agas.

Man. Quomodo adulatorem agere possum, si libere loquor semper, qua de re tu etiam aliquando me reprehendisti.

Rob. Non semper libere loquimur, nec omni tēpore, quin aliquando etiam adulatoris personam agamus, q̄quàm omnia nunc in bonam capiēda sint partē, ut iam incipiamus.

Man. Incipe, quia non te amplius interrumpo.

Rob. De concilio igitur loquuturi nunc quid primum expediat, atq3 dicendū a nobis sit, ante omnia cogitemus.

Man. Crederē ego prius a definitione esse sumendum exordium, ut quid sit id (Ci. teste) de quo disputatur, intelligamus.

Rob. Nec secus faciam, tum uel maxime quia definitio ipsius met rei, quę definitur, quiditatem ac essentiam ostendit, et uerus est docēdi modus, Immo Aristo. dicebat, nos essentialia cognoscere non posse alicuius rei, nisi nominis definitionem accipiamus, quæ nihil aliud est, quàm breuis et circūscripta rei adhuc explicatio, omnia accidentia nihilo

minus

minus manifestans. ostendentes post hæc unde dicatur, quotuplex sit, quando debeat celebrari, quę solemnitates in eo adhibeantur, an unus pro omnibus respõdeat, an papa concilium dissoluere possit, & alia quàm plurima, prout inter loquendum nobis occurrerit.

Man. Quid ergo concilium sit, dicas, unde cętera ferè omnia scire postea facile possimus.

Rob. Concilium breuiter nihil aliud est, nisi generalis quędam fidelium uenientium collectio, auctoritate summi pontificis regulariter conuocatum.

Man. Quare generalis.

Rob. Quia, ut statim dicemus, quędam etiã particularia sunt, ut sic hoc unum ab alijs differre uideatur, alias definitionem tradidissemus cum genere, tum differentijs carẽtem, haud dicendum.

Man. Recte quidem loqueris, sed rursum quare fidelium dixeris, explica.

Rob. Dixi, ut omnia accidentia manifestarem, & dubitatiouis tollendæ gratia amplius, q̃q̃ infideles concilio adesse nec possint, nec debeant, quod etiã Auero. de anima cõmen.

iij.docet,& habetur (singula singulis refe-
rendo) in.l.quę dubitationis, & in. l.non
solent.ff.de reg.iu. & in.l.i.in.§.quamuis.ff.
de uen.inspi.& in.l.i. in prin. ff. de æstima.
actio. & in.l.iam hoc iure,in fi.ff.de uulg.et
pup.sub.

Man. Falleris,quia plerunq; ipsi quoq; uocati &
impetiti admittuntur, putà si contra pręce-
pta proprię legis aliquid faciant.

Rob. Verissimum id est utiq;,ut puniantur, non
ut prosint concilio, ex quo oẽs sumus oues
Christi,licet non omnes de ouili ipsius, &
sanctæ matris ecclesiæ, ut in. c. quod super
his,de uo.

Man. Sed quomodo hoc ipsum esse potest, cum
dicat Apostolus.i.ad Corinth.c.v.& tran-
sumptiue tex.in.c.gaudemus, de diuor. & ĩ
cano.multi.ij.q.i.de his qui foris sunt nihil
ad nos.sensusq; sit,eos canonibus non liga-
ri,quod etiã refert Abb.pa.in.c.i. in. ij.col.
de consti.& Ancha.latius in consil. ccxliij.
incip.christianissime,in prin.

Rob. Immo q nec aliter esse potest, cum prædi-
cta intelligantur respectu excommunicatio
nis,& fidei,ad quã sola dei optimi maximi
gratia

gratia uocari debent, non compelli, ut in ca no. de iudeis. xlv. dist. & declarat Abb. in. d. c. gaudemus, in. iij. col. Dixi etiam aucto-ritate pontificis, & regulariter tandem, ne graueris me interrogare totiens, quia alia quoq; concilia sunt, quę sine summi pontifi cis auctoritate, siue eius legato, celebrari possunt, ut in cano. regula, in. §. porro. ij. di. & . xij. dist. per totũ, & subijciemus statĩ.

Man. Non grauantur, qui discunt, si maxime in-terrogantes sint curiosi ut ego.

Rob. Consilium hoc tuum laudo, sed a me parum discere potes, pręsertim hac in re, in qua do ctissimus es, & semper inscitiã dissimulasti.

Man. Vt uideo ad uomitum adulationis pristinũ necesse est reuertamur, obiurgationis medi camento comprimendum, ideo ad alia tran seamus, unde concilium scilicet (ut propo-suisti) dictum sit.

Rob. Quam libentissime, si primum tamẽ me ex-cusatum habueris, definitionem unicam tã-tum huiusce rei tradidisse, quoniam pericu-lolę communiter sunt, & nulla, quæ non fa-cile possit subuerti, ut in. l. omnis diffinitio. ff. de reg. iu. & in. l. i. ff. de regu. cato. & in.

l.mora.ff.de usu.

Man. Excusatione opus non est, tum ratione præ dicta, tum etiam quia breuitati semper, & maxime nunc, quod & supra quoq; testati sumus, est consulendum.

Rob. Concilium igitur dictum est ab intentione communi, ex quo fideles (ut diximus) con uenientes in unum, omnem mentis obtuitũ dirigunt, sicut supercilia, quę oculorũ sunt, conueniunt, ipsos claudendo, adeo ut qui si-bimet dissentiunt, conciliũ non agant, quia non consentiunt in unum, & inde etiam sy-nodus græce, latine uero concilium, cetus, conuentus, et simile quiddam, ut in cano.i. in.§.synodus.xv.dist.et tradit post Isido. li.ethimologia.vi.c.xv.Cardi. ĩ prohem. clemen.in.§.nec sanè, in prin. dicta pariter a syn, quod est con, et odos, uia, quia ad sy-nodũ homines diuersis itineribus accedũt, ut in locis pręalleg.legitur.

Man. Placet mirum in modum, sed fortè dici etiã potest, a concio concis appellatum fuisse, quod idem est q conuoco, quasi fideles si-mul conuocentur.

Rob. Longe melior est canonis descisio, quoniã

concire

concire est cum aliqua perturbatione, unde Comi. hic facit tranquillitatem, iste oēs fluctus cōcit. & ab urbe condi. Liui. i. elatū domo Lucretię corpus in forum deferunt, cōciuntq; miraculo (ut fit) rei nouę, atq; in dignitate homines.

Man. A consensu etiam, uel consilio, & a concalādo simul, idest conuocando, deriuari adhuc dicere possumus, quoniam in vnum locum fideles conuocantur, ut de summa rerum deliberent, quod etiam Cæsar. ij. bel. ciuil. sensit, his uerbis, quibus de causis concilio conuocato, de summa rerum deliberant, & alibi Poe. Conciliumq; uocat diuū pater atq; hominum rex. unde conciliare quoq; animos hominum dicimus, amicitias, beneuolentiam, & similia, idest unire simul, coniungere, & uinculo quodam ferè indissolubili connectere.

Rob. Nec secus dici potest.

Man. Ideo aliud, quod sequitur, si placet, explica.

Rob. Quomodo placere hoc idem mihi non possit, haud uideo, te hortatore, immo potius impulsore, ea de re scias uelim, Concilium triplex esse, generale scilicet, prouinciale, &

episcopale, episcopale, quod quilibet episcopus in sua diocesi celebrat, prouinciale uero archiepiscoporum, una cũ suffraganeis suis, Generale autem, quod a nobis nunc maxime disputatur, papę & omnium episcoporum, uniuersalem ecclesiam repręsentãs, ut not. in summa. xvij. dist. et in cano. regula, in. §. i. iij. dist. & in. c. cum olim, de accusa. & in. c. quod sup̄ his, de maio. & obedi. & per Cardi. in. d. §. nec sanè.

Man. Non ne cõcilium etiam id dici debet, quod agunt monachi?

Rob. Minime, nisi lata quadam significatione, ut etiam alia q̃plurima, stricte uero capitulum (quod & tu non ignoras) appellatur, tum uel maxime ut a supradictis differat, & de materia habetur alias in. c. ea quæ, & in. c. in singulis, de sta. mo. & ad propositum, omnium episcoporum dixi, quia eo ordine nullus (ut alibi declaratum fuit) in ecclesia maior reperitur, & quia ij, non ꝙ alij excludantur, potissimum adesse debent.

Man. Sapienter (iam enim os aperueram) obiectioni tacitę occurristi, & ex te scire hoc ipsum uolebam. Sed aliud dicas quęso, quare

est ꝙ

est ꝙ concilia generalia, & prouincialia raro fiunt, episcopale uero quotannis, ut in cano. abbates. xviij. q. ij. in cano. annis singulis. xviij. dist. & in. c. quod in dubijs, de maio. & obe. & ex causa plerunqꝫ bis in anno, vel si id consuetudo dictaret, quemadmodum in concilio basilieñ. fuit alias determinatum, & legitur utrunqꝫ in cano. de concilijs, & ibi Cardi. Alexan. & in cano. habeatur. xviij. dist.

Rob. Quia magno esse uidentur detrimẽto christianis, & plus dico tibi, ꝙ generale solum hac ratione raro celebratur, ꝙqꝫ prouinciale differri non debet, quominus ipsũ quoqꝫ singulis conuocetur annis, ut in. c. graue, de preben.

Man. Rationabile inquam est, quoniam labuntur nimia licentia clerici, nisi frequenti conuocatione lapsi comprimantur, & instituãtur taliter, ut non labantur facile, in generali haud considerabile, in quo alia maioris ponderis tractantur, quemadmodum suo loco dicemus. Attamen crebro etiam generalia facta esse reperiuntur, Constantini tẽpore, a quo ortum habuere, tum et maxime

Nicennum, Constantinopolitanum, Ephesinũ, & Calcedonense, quę sicut sancti Euãgeliј libros se uenerari beatus Grego. dicebat, ex quo in istis etiam, cum in eis peruersum Arriј dogma, Eumoniјq;, Macedoniј error, Nestoriј impietas, Euticetis deniq;, ac Dioscori prauitas destruatur, destructumq; inueniatur, uelut in quadrato lapide sanctę fidei structura consurgit, ut in cano.i. & in cano. sicut. xv. dist. et alia q̃plura, quæ non refero, etiam Clementis tempore nedum Constantini.

Rob. Multa quidem esse possunt, & raro quoq; facta, et non ita generaliter ut nunc, adeo ut nec tantum detrimenti etiam pateretur tũc christianitas.

Man. Cogitaram nõ aliter esse posse, ex quo hoc etiam in locis a te alleg. traditur, sed aliud scire cupio, quid differat generale a lateranen͂. quod in suprascriptionibus canonum uideo annotatum quãm sæpissime, neq; tu diuidendo unum ab altero declarasti.

Rob. Non declaraui, ex quo te id ipsum scire arbitrabar, quod tamen & si dissimules, nec ignoras.

Vtcunq;

Man. Vtcũq; sit, si non mihi, alijs saltem declara.

Rob. Faciam quidem animo q̃ promptisiimo, & dicam nihil differre, quoniam utrunq; generale est, vnum lateranẽ. appellatũ, quoniam in eo pręfuit Alexan. III. celebrato alias de anno. MCLXXIX. aliud uero generale, Inno. III. pariter celebratum ante de anno. MCCXXV. quorum mentionem facit Io. And. in. c. nemo, in. ij. col. de electio. in. vi. & in. c. cum apostolica, in. iij. de his quę fi. a pręla. si. consen. cap. & lateranẽ. dictum est, quemadmodum lugdunẽ. sardicẽ. basiliẽ. & similia, ut supra & de quibus in. d. c. nemo, & in clem. i. de sum. tri. & fi. catho. & in. c. non debet, de consangui. & affi. & in cano. quod dicitis, & in cano. prima annotatio, et ubiq; quid in eis tractatum fuerit. xvi. dist. mitto carthaginẽ. Zozini papę congregatum, ut ostenderetur, nihil publice agi debere sine Romanæ ecclesiæ consensu, & uercellẽ. Leonis, in quo Berengarij error damnatus est, q̃q̃ postea illustratus optime uixerit. & Constantiẽ. quod Sigismundi Cæsaris iussu, ad scisma tollendum, nouem & triginta annis

durauit, & in quo pariter Ioannes, licet inuitus, pontificatus se abdicauit, & ad perpetuas carceres apud Aldebergam Germanię oppidum dedecorose condemnatus fuit, & damnatus inde Benedictus Boldrinus Galliorum papa adulterinus, cum apud Cathaloniam in oppido Paniscolę munitissimo se contineret, assereretq́ pertinaciter, se Christi uicarium, ac etiam multę hereses, tum uel maxime Ioannis viglef, & duo eius discipuli combusti amplius, Ioannes Hus, & Hieronymus, eo ꝙ dicebant sequentes Dulcinum Nouarieñ. heresiarcham, mulieres cōmunes, ecclesiasticosq́ pauperes, ad imitationem Christi, esse debere, cum ex tanta diuitiarum copia populi scandalizentur, & actum deniq; de nouo pontifice eligendo, ut unaquæq; natio sex probatos uiros, & deum timentes deligeret, qui unà cum Cardinalibus hoc ipsum facerent, & e uestigio Otto Columna Roma. diaconus Cardinalis tunc electus est tāta omnium lętitia, quāta dici posset, usq; adeo ut omnes etiam ea de re illachrimarent, & florentinum Eugenij, quod Græci maxime abhorrebant, &

qui

qui post multas disputationes tandem con- 44
uicti fatebantur, spiritum sanctum a patre
filioq; procedere, non a patre tantum, quem-
admodum profitebantur. quoq; in azimo tri
tico pane corpus christi consecraretur, Pur
gatorium, & locum ipsius, & ultimo loco
Ro. pontificem uerum esse Christi uicariū,
Petriq; legitimum successorem, ac primum
in orbe christiano locum tenentem, cui &
orientalis & occidentalis ecclesia parere te-
neatur, & Romanū deniq;, quod proprio
ore fœdauit Marcellinus, idolatriȩ crimen
confessus, & qui coram Diocletiano se chri
stianum professus capitalem sententiam su-
scepit, & alia penè innumerabilia a nobis
nunc non recitāda, quoniam difficilius exi-
tum quam principium inueniremus, & de
Marcellino latius per Archid. in cano. nūc
autem, in. i. col. xxi. dist.

Man. Nunquid (hæc enim & si scitu digna sint, sufficient tamen, nec potest consilium tuum non summopere commendari) agere, seu pertinaciter tenere contra concilium, heresis sit?

Rob. Absq; dubio, maxīe contra quattuor paulo

ſupra enumerata, & in.l.inter claras, in.§.ſu ſcipimus.C.de ſum.tri.& fi.catho.& deci- ditur in.l.quicunq;.C.de here.

Man. Ergo concilium errare non poteſt.

Rob. Immo poteſt.

Man. Igitur et ſecus teneri q̃ in eo determinatum ſit, dummodo id rationem habeat.

Rob. Nec iſtud rurſum in dubium uenit, ſi dam- natum reperiatur, ut cabilonẽ. & meldo- nẽ. in quibus rapta cum raptore matrimo nium contrahere haud poterat, & male, ut habetur in cano.placuit, & in cano.de puel- lis.xxxvi.q.ij.& in cano.i.xx.diſt.et in.c.fi. de rapto.alias non, Immo ꝙ nec errare ſim pliciter poteſt, ſeu perſeueranter, in ſpectan tibus ad fidem, et mores, ſicuti nec eccleſia, pro qua Chriſtus indeſinenter orauit ne de ficeret, ut in cano.a recta, et in cano.puden- da.xxiiij.q.i.et in.c.maiores, de baptiſ.quę hac ratione efficit etiam, ut nec ſuſpectũ poſ ſit recuſari, ſecundum. Abb.pa.in.c.i.in.iiij. col de iudi.idq; parum officit, ꝙ in facto di cti matrimonij errauerit, quia perſeuerãter non fuit, ut dixi, ex quo Chriſtus eduxit il- lud ſtatim ab errore, Hiero.auctoritate, ut

in locis

in locis preallegatis legitur, & absurdum certe esset hoc dicere, cum in nomine spiritus sancti conueniant, ergo nec secus q̃ sancta & approbata fidei teneant concilia, teneri quoq; a nobis debet pariter.

Man. Opinionem tuam, quam mirifice certe declarasti, laudo, & probo, & maxime ne prudentiæ nostrę inniti uideamur, ac ad idem preponere quę agenda uel dicenda sunt, sanctorum patrum decretis. c. ne innitaris. c. i. de consti. l. i. cum vulg. ff. de offi. questo. Nihilominus tamen adhuc aliud a presenti instituto haud alienum restat, nunc primum a nobis peruestigandum, cuius sentētia preualeat, si concilium contradicat Papę.

Rob. Crederem ego Concilij sententiam esse preferendam, quandoquidem (ut proxime dicebam) id ipsum spiritu sancto cooperante congregetur, & quia Apostoli simili modo (ipsi enim primi cōcilium celebrarunt, anticchenum, iuxta not. in cano. sacrosancta. xxij. dist.) cum Petro statuebant, q̃q̃ ipsum ut caput, & summum pontificem haberēt, & legitur Act. i. vi. & . xv. c. ubi Mathias in locū Iudę electus est, & postea Ste-

phanus,& alij,ex omni parte, ad tollendā pharisęorum seditionem, ex quo aliqui eorum dicebant adhuc circuncidere oportere. Considerando quoq; (ut Archid. inquit pariter in cano. anastasius. xix. dist.) periculosum fore fidei causam unius hominis iudicio relinquere,cum maxime peccare possit,ut in.d.cano.anastasius,& in cano. achatius.xxiiij.q.i.& in cano.nuncautem. xxi. dist. in concilio & uniuersali ecclesia, quemadmodum supra dictum fuit, haud considerabile.et plus quia Christus soli Petro, q̄uis ipsi per prius potestam non dedit, sed omnibus apostolis communiter,quando dixit accipite spiritum sanctum,quorum remiseritis peccata etc.ut ī cano.ita dominus. xix. dist.et in cano.audiuimus,in.§.i.xxiiij.q.i. et in cano.in nouo.xxi.dist.et Ioan.xx.c.ac Math.vlt.et rationi est etiam cōsonum, cū uideant plus (ut est in prouerbio) oculi q̄ oculus,firmiusq; sit iudicium plurimorum sententia comprobatum.c.prudentiam, de offi.deleg.c.pręsenti.c.deliberatione, de offi.lega. in. vi. et hoc modo arguit pariter Calde.in consil. xij. incip. an beneficia, de

pręben.

prebẽ. et longe melius esse duos q̃ unum, 46
quia solus, cum ceciderit, subleuantem non
habet, Immo quia ferrum ferro acuitur, et fa
ciem amici sui exacuit homo, difficiliusq; fu
niculus triplex disrũpitur, ut Ecclesias. iiij.
et Prouerb. xxvij. adeo ut non ab re etiam
sit, si tres mulieres ad Christi sepulchrũ ac
cesserint, Mar. teste. c. xvi.

Man. Tamen Papę potestas maxima est, et adeo
maxima, ut eius facta concilij iudicio non
subiaceant, quemadmodũ legitur in cano.
nemo, et in cano. aliorũ. ix. q. iij. et in cano.
hęc est fides, et in cano rogamus. xxiiij. q. i.
et in cano. si papa. xl. dist. et ĩ cano. dudum.
iij. q. vi. et in. c. significasti, de electio. unde
etiam ipse, et solus quidem, ipsius cõcilij sta
tuta interpretatur, immo limitat, et tollit, se
cundum Io. And. in. d. c. significasti. et pro
batur in. c. statutum, de rescrip. ĩ. vi. et in. c.
ubi periculum, et ibi glo. de electio. eo. lib. et
eo presente acta concilij dictãtur. c. ad apo
stolicę, de re iud. in. vi. c. pro humani, de ho
mi. eo. li. c. sacro, de sen. exco. c. cũ tu, de usu.
solus in eo statuit, ut in cano. i. lx. dist. et in
cano. multos. xliiij. dist. et in cano. canoni

bus.xvi.q.i.& in.c.statutum de preben.in.
vi.& supra concilium est, quoniã quicquid
facit, facit absq; dubio ut deus, ita ut eius uo
luntas pre ceteris, & iure merito dominari
debeat.c.quanto.c.inter corporalia, de trã-
sla.prela.c.super litteris, de rescrip.c.cui nõ
de preben.in.vi.& p multa tradit Ancha.ĩ
cõsil.ccxxxix.incip.parũ, in.ij.col.et ĩ cõsil.
ccccciiij.incip.tria dubia, in prin.et Bal.in.l.
si ut pponis.i.ĩ prin.C.quomo.& qñ iud.
subijciens, reuerẽtiam fieri deo, si fiat pape,
q̄q; ferie, quas ĩduxerũt Perusini propter
fœlicẽ aduẽtũ eius, sunt mixte, tã repentine,
q̃ in honorẽ dei, & facit tex.in.l.nõ distin-
guemus, ĩ.§.sacerdotio.ff.de arbit. nec supe
riorem habeat in hoc mundo, secundũ Ho-
sti.in summa, in.§.fi.ad fi.dicens, & faciens
quicquid sibi placet, inquit idem Hosti.in.
c.ad honorem, ante fi.de aucto.& usu pa. et
tanq̃ dominus (habet enim potestatem a
deo, alij autem prælati ab ipso, ut per Io.
And.in.c.cum ex eo, ad fi.de pœni.& re.)
trahens ad se omnia, Specu.teste ĩ.§.nũc de
episcoporũ, in ver.xliij.de dispẽ.et est arg.
in.c.quod in dubijs, de cõsecra.eccle.uel al-
ta.a

ta. a pape dictus, quę est iteriectio admirantis, et idē qđ admirabilis, vsq; adeo ut a Bithinis usurpatū quoq; inueniamus, adoraturos montiū cacumina ascēdere, ibiq; hac de re Iouem papam, ut papeum Scytę, salutare solere, habens deniq; plenitudinem potestatis, ordinis ratione, subiecti, naturę, fortitudinis, & unitatis, ut declarat late Præpo. Alexan. in. c. per uenerabilem, in. §. quod autem, in pe. & fi. col. qui fil. sint legi.

Rob. Hęc sine dubio uera sunt Mantua, & intelliguntur, ut in locis pręalleg. continetur, respectu eorum, quę sunt iuris positiui, non in concernentibus fidem, & uniuersalem statum ecclesię, quia tūc maior est orbis urbe.

Man. Fœdere ergo distinctionis cōueniemus in unum, nec dissentiemus inuicem, ut primo casu conciliū pręualeat, papa uero secundo.

Rob. Dixisti, & est uerum si legitime tamen electus sit, quoniam alias nō deus in terris, sed diabolus esset, nec claues regni celorum habens, sed inferni, & apostata maledictus, ut dicitur in cano. si quis apostolicæ. lxxix. dist. per quem ita etiam sensit Bal. in. l. impetrata, in prin. C. sen. rescin. non po.

Man. Nemo sanè aliter diceret, cum abusiue sint tales, si sint, sed nõ quales esse debent. l. paulus. ff. de uerbo. signi. l. ij. §. i. ff. quemadmo. testa. ape. l. i. ad municipa. ad alia igitur trãseamus, quoniam quo ad hoc unum satis diuagati sumus.

Rob. Et forte plusq̃ liceret, adeo ut tibi statim obtemperandum sit.

Man. Tũ uel maxime quia multa supersunt. adhuc tractanda.

Rob. Celebrari ergo Concilium debet, ne te morer amplius, & quę dicere ĩstituimus, sequamur ultra, ante quadragesimam, & circa autumnum maxime, ut in cano. decernimus. xviij. dist. & in. c. sicut olim, de accusa. & de uieneñ. quod inchoauit. MCCCXI. KL. Octob. & anno sequenti terminatum est. vi. die Aprilis, in clem. cum sit naturæ, de censi.

Man. Cur sic temporibus istis?

Rob. Quoniam (ut arbitror) aptiora sunt corpori & animę.

Man. Nullum est tempus, quod animæ aptum non sit.

Rob. Vnum tamẽ aptius est altero, quod est quadragesimę,

dragesimę, & ieiunij, hac de re institutum, ut ex toto saluti intendamus, & quia gula peccauit, clausitq́ꝫ nobis paradisi portas, ieiunium uero peccatum correxit, & portas apperuit, & quia Moses etiam quadraginta diebus ac noctibus ieiunauit, ut legem acciperet Dei mereret, Exo.c.xxiiij. & Niniuitę simul, ut misericordiã impetrarent, Ion. c.iij. Immo ꝙ nec Helias a ieiunio abstinuit cum esset quadraginta diebus usqꝫ ad montem Oreb peregrinatus, quemadmodum. iij. Reg.c.xix. dicitur.

Man. Ieiunio quoqꝫ Adam & Eua in aquis pœnitentiam egerunt, Iudithq́ꝫ uilis fœmina (historia nota est) Holofernem vicit, et ut Reg.i.c.vii. habetur, paruus exercitus magnũ ac numerosum superauit penitus. Dic tâdem solemnitates, quia hoc ipsum admittendum est, nec scire quo tempore celebretur multum expedit.

Rob. Ergo minus quę solẽnitates in eo adhibeantur, ex quo non sunt multæ, & si narrauero tibi, missam spiritus sancti dici debere ĩ primis, prę latosq́ꝫ post hæc conciliares indutos uestibus sacris esse debere, iuxta not. in.

c.cum nobis,& in.c.quod ſicut, de electio. & in.c.cũ eccleſia ſutrina,de cau.po. & pro prie.& in.c.ut apoſtolicę,de priuile.in.vi. ſatiſfactum iri putabis.

Man. Pluſquàm ſatis inquam putabo, nec ſecus Vincentię actum eſt.

Rob. Dixiſti iã,et a miſſa ſpiritus ſancti amplius inchoatum.

Man. Vtinam id ipſum perfectũ fuiſſet, quoniã hereſes nunc pululant,lutheranę,quę ſancti concilij determinatione fuiſſent etiam ſine dubio radicitus extirpatæ.

Rob. Nuſquam tardum eſſe ſolet diuinum auxilium implorãtibus,idcirco ſi pululant nũc, areſcent tamen cito.

Man. Maxime eſt ſperandum,Paulo.III.(ut diximus) Duce,cuius nutu quàmprimum apparebit,omnia ſilebunt & conticeſcent.

Rob. Videbimus.

Man. Neceſſe eſt, ne motibus tam magnis Petri nauicula fluctuet, quæ tamen mergi haud quaquàm poteſt, quoniam mergeretur ſimul fides Chriſti,non dicendũ quouis modo,ut ſupra & in cano. a recta, & in cano. hęc eſt fides.xxiiij.q.i.alleg.ſępius.

Etiam

Rob. Etiã ꝙ papa esset hereticus, peccator, ignarus, & insufficiens, quoniam in uno remanere potest, ut post Christi mortem in beata uirgine remansit, q̃q̃ fœmina, quod & Abb. pa. declarat in. c. maiores, in. ij. col. de baptis. & maxime quia si alias graues passa est persecutiones, haud mirum uidebitur, nunc ab istis insectari, Nam Nero primus hoc ipsum fecit, cũ Petri miracula uideret, adeo ut ipsius iussu Annolinus consul Mediolanum ingressus Geruasium, Protasiũ, Celsum, Nazarium, & plerosq; alios martirio coronauerit. Eam persecutus est etiam monstrum illud ingens Domitianus Vespasiani filius, cum se deum nominari, & coli amplius uoluisset. Dein Paulinus Traiani mãdato christianos inuasit. Quarta sub Adriano fuit, ex quo Faustinus, & Iouita, ac alij quàmplures multis miraculis martirium sibi compararunt. Quibus nec inferior esse uoluit Commodus, qui auditis Calimeri beati meritis, contra idola prędicantis eum plagis percussum in puteum proijci mandauit, christianos uero ĩ templo, quod eidem dicatũ fuerat, tumulari. Huic postea

ſucceſſit Maximus, ſub quo (mitto ꝙ ſacerdotes eccleſiarum odio habuerit incredibili) Vrſula & ſorores martires ſanctiſſimis operibus declarantur. Sub Decio autē Laurentius, & Agata, qui etiam Mediolani tēplum ſancti Franciſci ſcortis & comeſſationibus fœdauit. Nec pręconis uox, cum Maximianus triumphans ciuitatē hanc ingrederetur, ſilentio prætereunda eſt, dicentis tunc Concurrite ciues, deos reportate patrios, vos procul ab urbe prophani, uos hīc recedite chriſtiani. nolo alia, quia longum eſſet, proſequi, ſed cum Poe. dicere, Dabit deus his quoqꝫ finem.

Man. Dabit certe, quia uiolentum aliquid diuturnum (ut philoſophus inquit) eſſe non poteſt, Ideo ad alia tranſeamus, debet ne unus (ut propoſuiſti) in concilio pro omnibus reſpondere?

Rob. Debet utiqꝫ, ut not. in cano. petimus. xi. q. i. & in cano. bene quidem. xcvi. diſt.

Man. Sed aduerſari iura alibi, & expreſſius quidē uidentur, in. c. i. de pact. & in. c. i. de obliga. ad ra. in illis uerbis, uniuerſi dixerunt, recte ſtatuit ſanctitas ueſtra, pax ſeruetur,

& pacta

& pacta custodiantur.

Rob. Hoc nihil est, quoniam uniuersi respondẽt, etiam si per unum id faciant, l. i. §. omnia nostra facimus. C. de uete. iu. enucle. l. ita autem. §. gessisse, de admi. tu. & habetur in simili in. §. lex est, iũcta glo. insti. de iu. natu. alias confusio esset maxima in ipsarum rerũ decisione, & finiretur nunquam.

Man. Placet, nec est concordia hęc aliter improbanda, ubi prius maxime dubitabam.

Rob. De singulis dubitas tu, & si dubitandum non sit.

Man. Nimirum, quia inutile non est, & quia veritas aliter inueniri haud potest, ut Modesti. Iuriscon. dicere solebat, & refertur in. l. ij. in. §. mixta. ff de mu. & ho. & idem in cano. uentum. i. q. i. dicente etiam Socrate, mirificum hoc habuisse bonum, quod ipsum seruabat, quoniam sine rubore uerecundiæ ad discẽdum semper se preparabat, cui Trasymachus quoq; obijciebat, ut interrogaret, & non responderet, disceret, & non doceret.

Rob. Dummodo molestum tibi non sit, scias mihi gratã esse quãcunq; tuã interrogationẽ.

50

Man. Si mihi molestum esset, iam me hac mole- stia silendo liberassem, quod nec factum est, nec fieri debet, ut omnia, quę ad rem ip- sam necessaria fuerint, quantũ tamen satis sit, & iure merito quidem, absoluantur. ea propter quod ultimum est perfice, si papa scilicet concilium dissoluere possit.

Rob. Glo. in. c. ubi periculum, in uer. concilio, de electio. in. vi. tenuit ꝙ sic, cum sit super om- nia concilia. c. significasti, de electio. et idem in cano. bene quidem, in fi. xcvi. dist. & ita etiam fecit Eugenius. IIII. qui basilieñ. con cilium dissoluit, seu transtulit.

Man. Noluit tamen translatum illi cõsentire, sta tuens papam id facere non potuisse, ex qua altercatione multa mala in ecclesia orta sũt, & scisma pernitiosissimum christianitati, ut in eius uita legitur, & non ab re forte, quia ęquum minime uidebatur, ipsum dissolui absq; ipsius concilij requisitione. c. i. de reg. iu. l. nihil tam naturale. ff. eo. & sentit glo. prius in. d. c. ubi periculum.

Rob. Hoc idẽ iam decisum est supra taliter ut fir- miter tenere debeamus, subsistente iusta & legitima causa dissolui ab eo posse, alias au-

tem

tem non, tum uel maxime quia excepta sem per uidetur in quacunq; dispositione. l. si ho minẽ. ff. manda. l. procuratoribus. C. de pro cura. l. si cũ cornelio, cũ vulg. ff. de sol. Cõsi derando quoq; ꝙ cũ caput sit ipsius cõcilij, ad ipsumq; cõgregatio spectet regulariter, ut suo loco diximus nõ repetẽdum aliter, ad eum etiam debet, & maxime ex causa, spe ctare dissolutio, seu translatio. 51

Man. Omnino cõsonat, si ex causa fiat (ut dicis) ne alias de inconstantia reprehẽdatur, quæ si in alio detestabilis est, in summo pontifi ce longe magis esset detestabilior.

Rob. Et pręcipue quando ad tertij præiudicium redundat. l. de die. §. fi. ff. qui satisda. cogan. l. pomponius scribit si negocium, in fi. ff. de nego. gest. In tantum ut alibi non immeri to iniquitas appelletur in. l. iusiurandum, in prin. C. de reb. credi. & temeritas in. l. eos. C. de mo. mulcta. & tradit Bal. in. l. ius ciui le, in prin. ff. de iusti. et iu. culpa haud carẽs, ut in. l. edita. C. de eden.

Man. Si leges actus alios improbant sine causa fa ctos, ut not. in. l. ij. in. §. circa. ff. de excep. do. & in. l. filiusfamil. in. §. diui. ff. de leg. i. et in.

l.si cum aurum.ff.de sol multo plus dissolutionem concilij factam simpliciter improbabunt.c.ubi periculum,de electio.in. vi.l. i.§.sed & si quis.ff.de carbo.edic.

Rob. Verissimum est,nec rationibus adduci possum,ut secus credam,ea de re omnibus absolutis,ad tertium ueniamus,quæ in concilio tractanda sint.

Man. Immo aliud adhuc restat,decisione necessarium,si duo de papatu contenderent, an cõcilium inter eos iudicet.

Rob. Certe negligẽtia fuerat prętermissum, nũc diligenti responsione compensanda, & dicendum breuiter ꝙ sic,sensisseq; uidetˀ glo. aperte in cano.si duo.lxxix.dist.et in cano. concilia,in.§.hinc etiam.xvii.dist. & in cano.concilij constantieñ.incip.frequens, cõtinetur apertius, ex quo Tertium decidi quoq; uidebitur.

Man. Recte sentis,quia eligẽtes alias in causa propria iudicarent.& male.l.i. C. ne quis ĩ sua cau.l.nullus.C.de iude.& ideo licet in Imperatore admittatur facile, quia superiorẽ non recognoscit.l.bene a Zenone.C.de quad.pręscrip.l.deprecatio.ff.ad leg.rhod. de iac.

de iac. honeste tamen facit, si causam alteri committat, illiq; se subijciat, ut in. l. est receptum, de iu. om. iud. & ibi glo. not. & Bal. in. l. proxime, ī fi. ff. de his quę in testa. delē.

Rob. Nec scisma facile tolleretur.

Man. Non ne posset hoc ipsum iudicare Imperator?

Rob. Non, quia spiritualia negocia a laicis tractari non debent. c. decernimus, de iudi. c. cum laicis, de reb. ec. non alie. c. ecclesia sanctæ marię, de consti. nisi habilitentur a papa, ut in. d. c. decernimus, not. & per Bellenzi. in tracta. de charita. sub. in. lxxij. q. incip. utrū papa, quod in pręsenti disputatione esse nō potest, si de papatu contenditur.

Man. Sed dic rursum cum ad papā spectet, ut suo loco diximus, concilij congregatio, & legitur in cano. i. & in cano. consilia, in. §. hinc etiam. xvij. dist. & in cano. ideo. ij. q. vi. quis tunc congregabit, si de papatu contendatur?

Rob. Imperator, qui est aduocatus & defensor ecclesię. c. uenerabilem, de electio.

Man. Ergo spiritualia tractabit negocia, quod tamen negabas proxime.

Rob. Hoc ipſum non eſt negocia ſpiritualia tra-
ctare, & dato ꝙ eſſet, quamuis non ſemper
liceat, interdum tamen a lege cõceſſum eſt,
ut iſto caſu, tum uel maxime quia imperiũ
proceſſit a Deo, quemadmodum apoſtola-
tus, a quo etiam coronatur, & ſic diuinitus,
adeo ut cum eccleſia fraternizet, ſecundum
Bal. in. d. l. bene a zenone, ad fi. per tex. in
cõſti. quomo. opor. epiſ. in prin. & ꝙ adeo
coronetur, dicit ibidem, in. ij. tamen lectu.
& fortè hac de re inter cętera, ungitur, et cõ
ſecratur. vel dicamus ꝙ ipſi cõgregent (et
eſt uerius) ad ſollicitudinem Imperatoris.

Man. Scirem libenter alia, quę neceſſaria ſunt, ut
imperet, & a quibus eligatur.

Rob. Diuagatio erit ad rem ipſam parum faciẽs.

Man. Immo multum, niſi tibi loqui moleſtũ ſit.

Rob. Moleſtum mihi eſſet tibi morẽ nõ gerere.

Man. Ergo hãc ſitim eueſtigio ſeda ameniſſimis
eloquentiæ tuæ fontibus, & præſtò ſis vt
bibam.

Rob. Peramanter, et ardenti quidem animo fa-
ciam, ab ultimo ideſt ab electoribus inci-
piens, dicamq; uti uerum eſt, ſi credere vo-
lueris olim ab exercitu eligi ſolitum, ut in

cano.

cano.legimus.xciij. dist. hodie uero ex con suetudine, quam leges haud aspernantur, a Germaniȩ principibus, quorum tres clerici sunt, quattuor uero laici, clerici Archiepiscopus maguntinus, qui est etiam Cancellarius Germaniȩ, Colonieñ. Italiȩ, & Treuereñ. Galliæ, Laici, Comes Reni, Dux Saxoniȩ, Marchio Brandeburgeñ. & Rex Bohemiȩ, quorum meminit glo. in. c. ad apostolicȩ, de re iud. in. vi. Comes rursum dapifer est, Dux ensem portans, Marchio camerarius, pincerna uero Rex. unde uersus.

Maguntinensis, Treuerēsis, & Coloniēsis,
Quilibet Imperij sit Cancellarius horum
Et palatinus dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio prȩpositus camerȩ, pincerna Bohemus,
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum.

Et talis ordinatio facta fuit, nec sine causa, ne ī Imperio succederetur, sicuti tūc, ex quo Ottones tres successiue unus post alium imperarant anno alias. MC. & ad propositū atq; post hæc alia esse necessaria, facta electione ipsius (forma enim est, ut suprano

minati conueniant in Treuereñ. diocesi ad statuẽdum diem electionis celebrandæ per ipsos, seu per ipsorum partem maiorem, in oppido Franchfort, & ibi postea fiat electio, ut declarat Io. And. in addi. specu. ĩ ti. de rescrip. presenta. in. §. fi.) tum uel maxime ut cũ decreto electionis presentetur Pape, et illa eadem canonice examinetur, ac approbetur persona electi, Deinde in Regem assumatur, ut promouendus pronuncietur, ungatur, & cõsecretur, & ultimo deniq; coronetur, & tribus quidem coronis, ferrea scilicet, argentea, & aurea. quemadmodum in. d. c. venerabilem, traditur, & in clem. ne romani, de iureiu. & in prohem. C. in rub.

Man. Quare tribus?

Rob. Quia totius mundi dominus est. l. deprecatio, etiam supra alleg. ff. ad leg. rhod. de iac. & optime facit quod dicitur ad idem alibi Luc. ij. exijt edictum a cæsare, ut describeretur uniuersus orbis. & quia mundus in tres diuiditur partes, in Asiam, Aphricam, & Europam, & probatur amplius q harum partium sit dominus in. l. fi. C. de tẽpo. ap. & in. l. i. C. de offi. prefec. preto. af. & in. l.

cum

cum appellatio. C. de appella.

Man. Et fortè etiam quia Ro. homines triplici solebant lustro honorari, ut not. in rub. C. de indictio. lib. x. vel quia triades, siue ternarius numerus omnium est perfectissimus, perfectosq; gignit, senarium scilicet, & nouenarium, cuius auspicio preces tertio, ac libamina repetuntur. unde Harmonia etiam tres Symphonias continet, Diapasson, Hemiolion, & Diatesseron. Tribusq; mundana perfectio constat, ex quo monadem fabricatori Deo, Diadem procreãti materię, Triadem uero idealibus formis aptamus. & anima similiter, quæ rationem, iracundiam, cupiditatemq; malorum omnium fomitem habet. Sed cur sic ferrea, argentea, & aurea?

Rob. Quia ferrum fortitudinem dessignat, qua rebelles uincantur, supplicio digni, & inimici sanctę fidei christianę cõculcentur. Argentea uero ut claritas iustitię ac fidei, quæ maxime in eo desiderãtur, undiq; clarescat. & aurea deniq;, ut uirtutibus omnibus pręstet, seq; cęteris excellentiorem ostendat, ut aurũ, quod metallis omnibus absq; dubio

diiudicatum est preciosius, & in locis preal leg. continetur.

Man. Accipit, seu coronatur ne tribus his coronis ab una eademq; persona?

Rob. Nequaquam, sed ut diuersæ sunt, eas etiam a diuersis capit. primam scilicet ab Archiepiscopo colonien. alteram a Mediolanen. tertiam vero summus pontifex ei imponit, & non immerito ex his, ac eo redeuntes unde discessimus, concilium congregat, seu ad sollicitudinem ipsius congregatur.

Man. Immo ut prius uideretur dicendum Imperatorem ipsum ad hoc teneri, ex quo olim etiam id ipsum congregarunt Constantinus, Iustinianus, Carolus, & alij, de quibus in cano. habeo. xvi. dist. & i cano. sexta, ea. dist. & in cano. sancta. xv. dist. & in cano. continua. xi. q. i. & in cano. adrianus. lxiij. disti.

Rob. Verum est, sed hodie pontificis onus uidetur, ad sollicitudinem tamen (ut dictũ fuit) ipsius Imperatoris, cuius maxime interest pacem esse in romana ciuitate, & multo magis in toto orbe, quod esse non potest, si de papatu contendatur, dicente Luc. xi. omne

regnum

regnum in se diuisum desolari, & domum supra domum cadere. & ad idem in Catili. Salust. Cōcordia paruas res crescere, discordia vero q̄ maximas dilabi solere. & Plato in. v. de Iusto, nullum perniciosius ciuitati malum fore, quàm quod eam diuidit, & ex una plures facit. nec aliud in homine, quem de limo terræ creauit deus, & fœminam de costa eius, nisi in unitate concordia, dictus inde, non ab humo (ut pleriq; aiunt) sed a concordia, & consensu, ex quo gręce ὁμονους concors, ὁμονοια concordia, & consensus appellatur, & ὁμονῶ concordo, siue consentio. qui etiam q̄diu unus fuit peccatū nō commisit, multiplicatus vero deliquit. Anima rursum e corporis uinculis difficulter recedit, quod ex eo uidere licet, quia omnia membra conspirant ad ipsius hominis salutem seruandam, unoq; dolente cætera dolent. Mundi quoq; partes ab ipso orbis Architecto concordi quodam discrimine conditę & connexæ sunt, nec animalia inter se hac de re pugnant.

Man. Videtur ne tibi hæc diuagatio haud necessaria?

Rob. Diuagatio non est ista, sed illa, quam supra proxime de Imperatoris electione tuo suasu fecimus.

Man. Vtcunq; sit, nulla debuit pretermitti, uerũ scire aliud exopto, quid si neuter congregare nolit, & id ipsum detractet, ad quem spectabit congregatio?

Rob. Ad collegium Cardinalium, ex quo sunt in possessione eligendi papam. c. ubi periculum, de electio. in. vi. ita ut ad ipsos spectent etiam, & iure merito, omnia, que sunt ad electionem consequentia. c. ut preterite. c. cupientes. §. ad hec, eo. ti. & lib. & not. in cano. si. in simili. lxv. dist.

Man. Optime quidem, nisi & ipsi dissentiant in conuocando, uel alia quacũq; de causa, quia tunc necessario esset onus hoc alij deoluendum.

Rob. Verum est ex supra dictis.

Man. Quis ergo conuocabit ipsum?

Rob. Imperator hoc casu solus, & nõ alius ad ipsius sollicitudinem, ut supra, quia cum in eo translata sit iurisditio & potestas uniuersi orbis. l. ij. §. nouissime. ff. de origi. iu. l. i. §. cũ enim. C. de uete. iu. enucle. representat totũ

populum

populum christianum, & sic. ω. reuolabit ad. α. retraheturq; extremitas ad prĩcipiũ, ut in cano. ab exordio. xxxv. dist. & in. l. si unus, in §. pactus, in uer. quod in specie. ff. de pact. ex quo conuocatio (ut diximus) olim fiebat per Imperatorem, postea per Papã, deficiente ergo papa, & his, qui eius loco subrogantur, seu non conuocantibus, ad ius pristinum reuerti debemus, & est simile in eo, qui iustitiam consequi non potest a superiore, ut auctoritate propria sibi ipsi ius dicat, secundũ Inno. in. c. olim. i. de resti. spol. & not. in cano. ius gentium. i. dist. & arg. in cano. nos ad fidem. xcvi. dist. & in cano. satagendum. xxv. q. i. & ad propositũ tex. in terminis in cano. si. lxv. dist. ubi negligẽte illo, ad quem deuoluitur congregatio uicinorum episcoporum pro ordinandis episcopis locorum, ipsi populi conuocant con uicinos episcopos.

Man. Possumus iam ad tertium deuenire, quod propositum est, ex quo esurientem me satiasti, adeo ut nil amplius possit desiderari.

Rob. Possumus inquam, q̃q̃ (ut dixi) ex his id ipsum decidi uideatur, repetenda tamen, cũ

aliter, & ad aliud quidem enũciata fuerint.

Man. Eoq; magis quia non omnia enunciasti.

Rob. Quomodocũq; res se habuerit, dicã, qa decies etiã (ut Poe. ĩquit) repetita placebũt.

Man. Presertim pulchra, qualia ista sunt, & a te dicta.

Rob. Dummodo tibi placeant, qualitercunq; dicantur non possunt esse non pulchra.

Man. Placent mihi, qa dicunẽ saltẽ fideliter, multoq; magis placebũt ceteris, & posteritati, sed ne in nos Hiero. inuehatur, mortiferos syrenarũ cantus taxans, surda aure hec transeamus, & ad institutũ nostrum redeamus.

Rob. Times ne te adulationis uitio reprehendã.

Man. Quo modo homini mihi amicissimo & beniuolo possum adulari, in quo omnes veneres quoq; reperiuntur?

Rob. Non te moror amplius, quia ut figulus ollis ansas ponit, sic adulationis occasionẽ respondens totiens tibi prebere uideor.

Man. Et ego tacens (loquere ut uis) aures tibi attentissimas admouebo.

Rob. In Concilio igitur & tandem scias tractari potissimum de his, quæ ad catholicam spectant fidem, ut corrigantur scilicet hi qui ex

catholicis

catholicis in fide errare reperiũtur, & quid tenedũ sit statuatur, quod in nicena, cõstãtinopolitana, ephesina, & calcedonensi synodo obseruatum extitit, ut suo loco supra dictum fuit latius, et non ab re adhuc ex his Tertium decidi testati sumus.

Man. Ego quoq; hoc idem semper sum arbitratus, adeo ut Imperator iure merito (quemadmodum proxime dixisti) concilio adesse possit, non ad potentiam ostendendam, sed ad fidem confirmandam, religiosissimi principis Constantini exemplo, ut in. d. cano. nos ad fidem. xcvi. dist. q̃q̃ aliqui cõtrarium sentiant, ex quo de fide disputare non licet. l. nemo. C. de sum. tri. & fi. catho. et habetur in cano. cum quibus. xxiiij. q. iij.

Rob. Non licet dubitando, quoniam dubius in fide est hereticus, alias autem sic. l. quoniã. C. de epis. & cle. c. dubius, de here. & in cano. satis. xcvi. dist. & in cano. uides. xxiij. q. vi.

Man. Contrarium sentiebant ex alio etiam, quia ad solum papam quęstio hęc, & sacramentorum ecclesię pertinere videbatur, per tex. in cano. memor, & in cano. quotiens. xxiiij.

q.i.& in.c.maiores, de babtis.& in.c.ut debitus, de appella.& in.c.quamuis, de electio. in. vi.

Rob. Et adhuc male ac perperam, primaq; opinio uerior, quam etiam glo. tenuit in cano. anastasius.xix.dist.si maxime ītelligamus, prout intelligere oportet, Concilij decisionem esse, congregariq; debere, si de totius ecclesię iudicio constet, quoniam tunc papa hereticus esse posset, & in fide errare, tota vero ecclesia non, ut in cano. si papa.xl.dist. & in cano.a recta.xxiiij.q.i.alias Christus, qui pro ea orauit, mēdacium dixisset, haud pręsumendū, immo nec cogitandum, iuxta illud Psal.lxxxviij. quę procedūt de labijs meis, non faciam irrita, & tradit Abb.pa.ī. d.c.maiores, in.ij.col. vel dicamus sic, regulariter papam solum, causam cōcernentem fidem, ecclesięq; sacramentum, decidere posse, institutum autem ab ecclesia sine cōcilio, non, & iura omnia concordabuntur.

Man. Cum sit concordia ipsorum iurium, & Doctorum inde ita declarantium, haud est improbanda.

Rob. A ratione pręcipue non aliena, quod planè intellexisti,

intellexisti, nec te ipsum latet.

Man. Suntne alia concilio indigentia?

Rob. Quamplurima quidem.

Man. Que?

Rob. Si de papatu contendatur, ut supra dictum fuit late, & sic scismatis ratione, quod in ecclesia dei maximum est malum, exemploq; docetur, in Dathan & Abyron, ut nume. xvi. & transumptiue in cano. deniq;. vij. q. i. quos terra viuos absorbuit. Si a fide adhuc papa ipse deuius inueniatur. Vel si bonum agatur uniuersalis ecclesię. aut ipse papa rursum notorius peccator sit, et taliter quidē, siue peccato tali, ut tota ecclesia dei pariter scandalizetur, ut in cano. si papa. xl. dist. & in cano. anastasius. xix. dist. & in cano. si duo, et in cano. si quis pecuniam supra etiā alleg. lxxi. dist. et breuiter lites omnes ac iurgia, in quacunq; prouincia subortę, si aliter sopitę non fuerint, ut in cano. multis. xvij. dist. et in cano. de concilijs. xviij. dist. et in cano. habeatur, et in cano. propter ecclesiasticas, ea. dist. intelligendo quoq; de laicis, ut ibi glo. declarat, et probatur in cano. duo sunt genera. xij. q. i. et ad propositum

latius in.c. qualiter et quando. ij. de accusa. et seq. et in.c. graue, et ibi per Inno. de pre-ben. et in.c. in singulis, et in.c. ea que, de sta. mo.

Man. Vt coniicio, ad metam properas, et cœptũ iter cursu uideris sic peregisse, ex quo aliquibus enumeratis, generale uerbum subiecisti, quod fieri etiam solet. l. si seruus seruum. §. inquit lex. ff. ad leg. aquil.

Rob. Non ne iam uidetur tibi tempus?

Man. Immo ab instituto plurimum deuiasse uidemur, et prolixitati indulxisse, sed quia delectant me ualde quæ dicis, utiliaq; sunt, et uaria, ultro expeti debent, et concertatio desiderari.

Rob. Vt uides non est amplius nobis argumentum loquendi, de personis enim conciliaribus diximus, de ipso concilio, deq; his, quæ in eo tractantur, adeo ut nihil aliud restet, nisi Deum optimum maximum precari, si hoc ipsum, quod futurum speramus, fiat, ita cordibus hominum insit, adiutorq; sit, ut omnia bene, fœliciterq; uertant, et christianitati consulatur.

Man. Christianitati iam est consultum sanctissi-

mis

mis ecclesię, aliorumq́ꝫ cōciliorum legibus 59
ueritatem continentibus, quę (ut Io. xiiij. ait) nihil aliud dicitur, q̄ ipse deus, ita ut dubitandum non sit, quoniam ęterna etiā est, et immutabilis, quam nec Sathanas subuertet, aduersarius sonans, siue transgressor, ex quo ei non parum aduersatur, nec sequaces peruersorum dogmatum sectatores uiolabunt, quominus spiritu sancto cooperante confirmentur in melius, & hereses omnes, Prouidentia maxime Pauli. III. Pontificis maximi, extirpentur radicitus.

Rob. Scio iam consultum esse, sed tamen quia mēdatio peruertuntur, consultum libere dici non potest, aliaq́ꝫ necessaria sunt, ut destructis aduersitatibus, & erroribus uniuersis, ecclesia ipsa deo secura seruiat libertate.

Man. Iam non negamus, sed factu hoc est facilimum uolentibus.

Rob. Non solum uult Pōtifex, uerum etiam optat, signaq́ꝫ ipsa demonstrarunt aperte per eum haud stetisse, & magno quidem dispendio.

Man. Ipsi negocium hoc sinamus, & ad nostrum reuertamur, dixisti enim argumentum no-

bis loquendi amplius nõ esse, & tamen mi-
hi adhuc multa superesse uidentur, quæ lon
gissimum expetunt tractatum, pręcipue si
concilium iurisditionẽ habeat pręsente pa-
pa, si ipsum pro heresi deponere possit. an
prohibere ualeat, ne quis hoc casu cũ eo par
ticipet, nunquid vniuersale dicatur, si papæ
legatus pręsit. an in eo risus, strepitus, & tu-
multus, cessare debeat. & si papa deponit
Imperatorem, nunquid rursum concilium
congregandum sit. & si possit tollere papæ
constitutionem. item dispensare, absoluere,
& alia facere, quę ad solum papam spectãt,
uel ipsi soli reseruata sunt. an canones conci
lij sint preferrendi dictis sanctorum patrũ.
quo modo olim procederetur. & an a con-
cilio liceat appellare, & ad quem, possitq;
adiri per uiam querelę. ubi esse dicatur ra-
tione ecclesię. nunquid antiquos canones
seruare debeat. & per commissarios papæ
deniq; congregari.

Rob. Sciebam esse etiam alia multo plura, sed ta-
lia quidem omnia, ut ex his, quæ disputata
sunt, facile deciderentur. & quia ante nos
alij etiam, licet ordine uario, & usq; ad sto-
machum

machum (quod aiunt) longe copiosius & diffusius scripsere. 60

Man. Non ab re tamen erit, ea simplici uerbo decidere, ne quæstionem relinquant legentibus, ita ut statim quoque finias, nec ego te amplius lacescam, uel saltem loca citare, unde decisionem hauriant, & expischentur.

Rob. Non possum certe tibi, uotisque tuis non obtemperare, ni uerbosi nimium uideamur, quod si obijciatur, hoc ipsum tibi etiam erit ascribendum.

Man. Curiositas hęc commẽdationem habet potius quam reprehensionem, ex quo natura scire omnes desideramus, ea propter molestiam hanc mihi relinque.

Rob. Vtinam possem tibi relinquere alias etiam omnes.

Man. Si relinqueres, nec ego homo tui amantissimus recusarem, sed iam loca dicas, ne prolixitatẽ fugientes, paulatim in eã incidamus.

Rob. Cito inquam, & properanter quidem, ratione supradicta, dico, (singula singulis referendo) de his tractari in cano. cuncta per mundum. ix. q. iij. & in cano. si quis in suprascriptione. xxv. q. ij. & in cano. cum pastoris. ij.

q.vij.& in cano.si quis dogmata.xxv.q.fi.
& in cano.quod quis.xxxv.q.ix.& in ca-
no.nullus.xxiiij.dist.& in cano.in nomine
domini.xxij.dist.& in.c.i.de simo.& in.c.
in fidei,& ibi Archid.de here.in.vi.& in ca
no.sicut.ij.q.vij.& in cano.si papa.xl.dist.
& in.c.graue,de preben.& in cano.anasta
sius.xix.dist.& in cano.conuenientibus.i.
q.vij.& in cano.in loco.v.q.iiij.& in.c.ad
apostolicę,de re iud.in.vi.& in clem.ne ro
mani,de electio.et in.c.iij.de cle.exco.mi.et
in cano.mutationes,et ĩ cano.episcopus de
loco,vij.q.i.et in cano.præsbiter.lxxxij.
dist.et in cano.de libellis.xx.dist.et in ca-
no.tria.xxxvi.q.ij.et in.c.i.de ser.nõ ordi.
et in.c.osius,de electio.et in cano.consilia,ĩ.
§.hinc etiam.xvij.dist.et in cano.bene qui-
dem.xcvi.dist.et in.d.cano.conuenienti-
bus.i.q.vij et in.c.i.de pact.et ĩ cano.actio
ne.xxij.q.iiij.et in cano.si iubet,et in cano.
aurelius.xxvi.q.vi.et in cano.sanè.xxiiij.q.
iij.et in cano.quod quis.xxxv.q.ix.et in ca-
no.sicut excellentiam.xxiij.q.iiij et in cano.
generalis,in fi.liiij.dist.et ĩ cano.quamuis.
xxi.dist.et in cano.in noua.xvi.q.vij.et in
cano.

cano.ſi quis.xxv.q.ſi.& in. d. cano. conue-
nientibus.i.q. vij. & in cano. hoc nequaq̄.
vij.q.i.& in cano.cum adrianus.lxiij.diſt.
& in cano.ſeptuaginta.xvi.diſt.& in cano.
ij.xvij.diſt.& in cano. in ea.c. diſt. & in.c.
quod tranſlationem,de offi.deleg.alia ple-
raq; adduci potuiſſent, ſed cū hęc ſatis ſint,
ſilentio inuolui debent.

Man. Promiſſis ſtandum eſt,et maxime quia nō
tam quid aures tuę pati poſſint, conſideran
dum eſt,quàm quid uirtuti, & præſtantiæ
tuę debeatur.

FINIS.



VENETIIS, MDXLI.
MENSE MAI.



Errores inter imprimendum facti.

Quaternio.i.fac.iij.ri.viij.erediderint pro crediderint.

Quaternio.ij.fa.i.ri.x.Sitalei, & non Sitalici.

Ibidem.fa.iij.ri.xvij.opera, & nõ operas.

Quaternio.iij.fa.ij.ri.xvi.Brentius, & nõ Brentuis.

Quaternio.iiij.fa.vij.ri.xxi.solere, & non solete.

Quaternio.viij.fa.i.ri.iij.in.c.concilia,pro in cano.concilia.

Ibidem fa.ij.ri.xxiij.vsupa,pro vsu pal.

Quaternio.ix.fa.vij.ri.xv.pingnes, pro pingues.

Quaternio.x.fa.i.ri.ij.addesse, pro adesse.

Ibidem ri.xxi.discimus,pro dicimus.

Ibidem ri.xxiiij.quouiam,pro quoniam.

Ibidem fa.ij.ri.xi.conscribere, pro conscribere.

Quaternio.xi.fa.iiij.ri.i.Nicennũ, pro Nicenum.

Ibidem fa.vi.ri.ij.pontificatus, pro pontificatu.

Ibidem

Ibidem.ri . v . Galliorum pro Galliarum.
Quaternio.xij.fa.ij.ri.xiiij. poteſtam non dedit,pro poteſtatem non dederit.
Quaternio.xiij.fa.ij ri.x.patritios,pro patrios.
Ibidem fa.iiij.ri. xxi de re.iu.pro de reg.iu. in.vi.
Ibidem fa.viij.ri.ix.adeo,pro a Deo.

005647170


UB